

3000000 | 34923
1 24

139652
69826 1241

73791 2]

300

Lucas Cir

Bermudo

356
1

3678
7850

Dupré

36894 Sihic [illegible]
2

73788 Sihic [illegible]

[illegible]
Ego [illegible]
Isaret [illegible]
Sirvid Nomen [illegible]
in Nom[illegible] Lucas Bermudo

2345
2
4.6.9.0. (2) 2345

10

3595
2
7.190 (2) 3595

11.
19
10.

9234
2
18.4.68. (2) 9234

18

3456
2
6.9.12. (2) 3456

12. 34577
3
10.3713 (3) 34

23.5

t

SELECTA

EX CLASSICIS LATINITATIS

AUCTORIBUS

IN QUATUOR TOMOS DIVISA

AD USUM SCHOLARUM

SOCIETATIS JESU.

TOMUS TERTIUS.

PRO HUMANITATE.




MATRITI:
Typis Eusebii Aguado, anno MDCCCXXVII.

134567
2
269134
2
134567

11
15
14

3.°



EX CICERONE

SALLUSTIO, LIVIO, TACITO, MARTIALI, VIRGILIO ET HORATIO.

M. T. CICERONIS DE OFFICIIS.

LIBER III.

CAPUT I.

Publium Scipionem, Marce fili, eum, qui primus Africanus appellatus est, dicere solitum scripsit Cato, qui fuit fere ejus æqualis, *Nunquam se minus otiosum esse, quam cum otiosus; nec minus solum, quam cum solus esset*. Magnifica vero vox, et magno viro ac sapiente digna: quæ declarat, illum et in otio de negotiis cogitare, et in solitudine secum loqui solitum; ut neque cessaret unquam, et interdum colloquio alterius non egeret. Itaque duæ res, quæ languorem afferunt cæteris, illum acuebant, otium et solitudo. Vellem nobis hoc idem vere dicere liceret: sed si minus imitatione tantam ingenii præstantiam consequi possu-

mus, voluntate certe proxime accedimus: nam et à republica forensibusque negotiis, armis impiis vique prohibiti, otium persequimur; et ob eam causam, urbe relicta, rura peragrantes, sæpe soli sumus. Sed nec otium hoc cum Africani otio, nec hæc solitudo cum illa comparanda est. Ille enim requiescens à reipublicæ pulcherrimis muneribus otium sibi sumebat aliquando, et à cœtu hominum frequentiaque interdum, tanquam in portum, se in solitudinem recipiebat. Nostrum autem otium negotii inopia, non requiescendi studio, constitutum est. Extincto enim senatu, deletisque judiciis, quid est, quod dignum nobis aut in curia, aut in foro agere possimus? Itaque qui in maxima celebritate atque in oculis civium quondam viximus, nunc fugientes conspectum sceleratorum, quibus omnia redundant, abdimus nos, quantum licet, et sæpe soli sumus. Sed quia sic ab hominibus doctis accepimus, non solum ex malis eligere minima oportere; sed etiam excerpere ex his ipsis, si quid inesset boni; propterea et otio fruor, non illo quidem, quo debeat is, qui quondam peperisset otium civitati; nec eam solitudinem languere patior, quam mihi affert necessitas, non voluntas.

Quamquam Africanus majorem laudem vel meo judicio assequebatur: nulla enim ejus ingenii monumenta mandata litteris, nullum opus otii, nullum solitudinis munus exstat. Ex quo intelligi debet, illum mentis agitatione investigationeque earum rerum, quas cogitando consequebatur, nec otiosum, nec solum unquam fuisse. Nos autem, qui non tantum roboris habemus, ut cogitatione tacita à solitudine abstrahamur, ad hanc scribendi operam omne studium curamque convertimus. Itaque plura brevi tempore, eversa, quam multis annis, stante republica, scripsimus.

CAP. II.

Sed cum tota philosophia, mi Cicero, frugifera et fructuosa, nec ulla pars ejus inculta ac deserta sit; tum nullus feracior in ea locus est, nec uberior, quam de officiis, à quibus constanter honesteque vivendi præcepta ducuntur. Quare quamquam à Cratippo nostro, principe hujus memoriæ philosophorum, hæc te assidue audire atque accipere confido: tamen conducere arbitror, talibus aures tuas vocibus undique circumsonare; nec eas, si fieri possit, quidquam aliud audire. Quod cum omnibus est faciendum, qui vitam honestam ingredi cogitant, tum haud scio, an nemini potius, quam tibi. Sustines enim non parvam expectationem imitandæ industriæ nostræ, magnam honorum, nonnullam fortasse nominis. Suscepisti onus præterea grave et Athenarum, et Cratippi: ad quos cum tanquam ad mercaturam bonarum artium sis profectus, inanem redire turpissimum est, dedecorantem et urbis auctoritatem, et magistri. Quare, quantum conniti animo potes, quantum labore contendere, (si discendi labor est potius, quam voluptas) tantum fac ut efficias: neve committas, ut, cum omnia suppeditata sint à nobis, tute tibi defuisse videare. Sed hæc hactenus. Multa enim sæpe ad te cohortandi gratia scripsimus. Nunc ad reliquam partem propositæ divisionis revertamur.

Panætius igitur, qui sine controversia de officiis accuratissime disputavit, quemque nos, correctione quadam adhibita, potissimum secuti sumus, tribus generibus propositis, in quibus deliberare homines, et consultare de officio solerent; uno, cum dubitarent, honestumne id esset, de quo ageretur, an turpe: altero, utilene, an inutile: tertio, si id, quod speciem haberet honesti, pugnaret cum eo, quod utile videretur, quomodo eà discerni oporteret: de duobus generibus primis, tribus libris explicavit: de tertio autem

genere deinceps se scripsit dicturum, nec id exsolvit, quod promiserat. Quod eo magis miror, quia scriptum à discipulo ejus Posidonio est, triginta annis vixisse Panætium, posteaquam eos libros edidisset. Quem locum miror à Posidonio breviter esse tactum in quibusdam commentariis; præsertim cum scribat, nullum esse locum in tota philosophia tam necessarium.

Minime vero assentior iis, qui negant, eum locum à Panætio prætermissum, sed consulto relictùm, nec omnino scribendum fuisse, quia nunquam posset utilitas cum honestate pugnare: de quo alterum potest habere dubitationem, adhibendumne fuerit hoc genus, quod in divisione Panætii tertium est, an plane omittendum: alterum dubitari non potest, quin à Panætio susceptum sit, sed relictum. Nam qui è divisione tripartita, duas partes absolverit, huic necesse est restare tertiam. Præterea in extremo libro tertio de hac parte pollicetur, se deinceps esse dicturum.

Accedit eodem testis locuples, Posidonius, qui etiam scribit in quadam epistola, P. Rutilium Rufum dicere solere, qui Panætium audierat, ut nemo pictor esset inventus, qui Coæ Veneris eam partem, quam Apelles inchoatam reliquisset, absolveret (oris enim pulchritudo reliqui corporis imitandi spem auferebat): sic ea, quæ Panætius prætermisisset, et non perfecisset, propter eorum, quæ perfecisset, præstantiam, neminem esse persecutum.

CAP. III.

Quamobrem de judicio Panætii dubitari non potest: rectene autem hanc tertiam partem ad exquirendum officium adjunxerit, an secus, de eo fortasse disputari potest. Nam sive honestum solum bonum est, ut Stoicis placet; sive quod honestum est, id ita summum bonum est, quemadmodum Peripateticis vestris videtur, ut omnia ex altera parte collocata, vix minimi momenti instar habeant; dubitandum non est, quin

nunquam possit utilitas cum honestate contendere. Itaque accepimus, Socratem execrari solitum eos, qui primum hæc natura cohærentia, opinione distraxissent. Cui quidem ita sunt Stoici assensi, ut, quidquid honestum esset, id utile esse censerent; nec utile quidquam, quod non honestum.

Quod si is esset Panætius, qui virtutem propterea colendam diceret, quod ea efficiens utilitatis esset, ut ii, qui res expetendas vel voluptate, vel indolentia metiuntur; liceret ei dicere, utilitatem aliquando cum honestate pugnare. Sed, cum sit is, qui id solum bonum judicet, quod honestum sit, quæ autem huic repugnent specie quadam utilitatis, eorum neque accessione meliorem vitam fieri, nec decessione pejorem; non videtur ejusmodi debuisse deliberationem introducere, in qua, quod utile videretur, cum eo, quod honestum esset, compararetur. Etenim quod summum bonum à Stoicis dicitur, *Convenienter naturæ vivere*: id habet hanc, ut opinor, sententiam, cum virtute congruere semper; cætera autem, quæ secundum naturam essent, ita legere, si ea virtuti non repugnarent. Quod cum ita sit, putant quidam, hanc comparationem non recte introductam, ne omnino de eo genere quidquam præcipiendum fuisse. Atque illud quidem honestum, quod proprie vereque dicitur, id in sapientibus est solis, neque à virtute divelli unquam potest; in iis autem, in quibus sapientia perfecta non est, ipsum illud quidem perfectum honestum, nullo modo; similitudines honesti esse possunt.

Hæc enim omnia officia, de quibus his libris disputamus, media Stoici appellant. Ea communia sunt, et late patent: quæ et ingenii bonitate multi assequuntur, et progressione discendi. Illud autem officium, quod rectum iidem appellant, perfectum atque absolutum est: et, ut iidem dicunt, omnes numeros habet; nec, præter sapientem, cadere in quemquam potest. Cum autem aliquid actum est, in quo media officia

compareant, id cumulate videtur esse perfectum: propterea quod vulgus, quid absit à perfecto, non fere intelligit: quatenus autem intelligit, nihil putat prætermissum. Quod item in poëmatibus, et picturis usu evenit, in aliisque compluribus, ut delectentur imperiti, laudentque ea, quæ laudanda non sint, ob eam, credo, causam, quod insit in his aliquid probi, quod capiat ignaros, qui iidem, quid in unaquaque re vitii sit, nequeant judicare. Itaque cum sunt docti à peritis, facile desistunt à sententia.

CAP. IV.

Hæc igitur officia, de quibus his libris disserimus, quasi secunda quædam honesta esse dicunt, non sapientum modo propria, sed cum omni hominum genere communia. Itaque his omnes, in quibus est virtutis indoles, commoventur. Ne vero cum duo Decii, aut duo Scipiones, fortes viri commemorantur; aut cum Fabricius Aristidesve justi nominantur; aut ab illis fortitudinis, aut ab iis justitiæ, tanquam à sapientibus, petitur exemplum. Nemo enim horum sic sapiens, ut sapientem volumus intelligi. Nec ii, qui sapientes habiti sunt et nominati, M. Cato, et C. Lælius, sapientes fuerunt; ne illi quidem septem: sed ex mediorum officiorum frequentia similitudinem quandam gerebant, speciemque sapientum.

Quocirca nec id, quod vere honestum est, fas est cum utilitatis repugnantia comparari: nec id quod communiter appellamus honestum, quod colitur ab iis, qui bonos se viros haberi volunt, cum emolumentis unquam est comparandum: tamque id honestum, quod in nostram intelligentiam cadit, tuendum conservandumque est nobis, quam id, quod proprie dicitur, vereque est honestum, sapientibus. Aliter enim teneri non potest, si qua est ad virtutem facta progressio. Sed hæc quidem de iis, qui conservatione officiorum existimantur boni.

Qui autem omnia metiuntur emolumentis, et commodis, neque ea volunt præponderari honestate, hi solent in deliberando honestum cum eo, quod utile putant, comparare; boni viri non solent. Itaque existimo, Panætium, cum dixerit, homines solere in hac comparatione dubitare, hoc ipsum sensisse, quod dixerit, solere modo; non etiam oportere. Etenim non modo pluris putare quod utile videatur, quam quod honestum; sed hæc etiam inter se comparare, et in his addubitare, turpissimum est. Quid est ergo, quod nonnunquam dubitationem afferre soleat, considerandumque videatur? Credo, si quando dubitatio accidit, quale sit id, de quo consideretur.

Sæpe enim tempore fit, ut, quod plerumque turpe haberi soleat, inveniatur non esse turpe. Exempli causa, ponatur aliquid, quod pateat latius. Quod potest majus esse scelus, quam non modo hominem, sed etiam familiarem hominem occidere? Num igitur se obstrinxit scelere, si quis tyrannum occidit, quamvis familiarem? Populo quidem Romano non videtur, qui ex omnibus præclaris factis illud pulcherrimum existimat. Vicit ergo utilitas honestatem? immo vero honestatem utilitas consecuta est. Itaque, ut sine ullo errore dijucare possimus, si quando cum illo, quod *honestum* intelligimus, pugnare id videbitur, quod appellamus *utile*, formula quædam constituenda est; quam si sequemur in comparatione rerum, ab officio nunquam recedemus.

Erit autem hæc formula, Stoicorum rationi disciplinæque maxime consentanea; quam quidem in his libris propterea sequimur, quod, quanquam à veteribus Academicis, et à Peripateticis vestris, qui quondam iidem erant, qui Academici, quæ honesta sunt, anteponuntur iis, quæ videntur utilia; tamen splendidius hæc ab eis disseruntur, quibus quidquid honestum est, idem utile videtur, nec utile quidquam, quod non honestum; quam ab iis, quibus aut honestum aliquid non

utile, aut utile non honestum. Nobis autem nostrâ Academia magnam licentiam dat, ut, quodcumque maxime probabile occurrat, id nostro jure liceat defendere. Sed redeo ad formulam.

CAP. V.

Detrahere igitur aliquid alteri, et hominem hominis incommodo suum augere commodum, magis est contra naturam, quam mors, quam paupertas, quam dolor, quam cætera, quæ possunt aut corpori accidere, aut rebus externis. Nam principio tollit convictum humanum et societatem. Si enim sic erimus affecti, ut propter suum quisque emolumentum spoliet aut violet alterum, disrumpi necesse est eam, quæ maxime est secundum naturam, humani generis societatem. Ut, si unumquodque membrum sensum hunc haberet, ut posse putaret se valere, si proximi membri valetudinem ad se traduxisset, debilitari et interire totum corpus necesse est: sic, si unusquisque nostrum rapiat ad se commoda aliorum, detrahatque quod cuique possit, emolumenti sui gratia; societas hominum et communitas evertatur necesse est. Nam, sibi ut quisque malit, quod ad usum vitæ pertineat, quam alteri, acquirere, concessum est, non repugnante natura. Illud natura non patitur, ut aliorum spoliis nostras facultates, copias, opes augeamus.

Neque vero hoc solum natura, id est, jure gentium, sed etiam legibus populorum, quibus in singulis civitatibus respublica continentur, eodem modo constitutum est, ut non liceat sui commodi causa nocere alteri. Hoc enim spectant leges, hoc volunt; incolumem esse civium conjunctionem: quam qui dirimunt, eos morte, exilio, vinculis, damno coercent. Atque hoc multo magis exigit ipsa naturæ ratio, quæ est lex divina et humana: cui parere qui velit (omnes autem parebunt, qui secundum naturam volent vivere) nunquam com-

mittet, ut alienum appetat, et id, quod alteri detraxerit, sibi assumat.

Etenim multo magis est secundum naturam excelsitas animi et magnitudo; itemque comitas, justitia, liberalitas, quam voluptas, quam vita, quam divitiæ: quæ quidem contemnere et pro nihilo ducere, comparantem cum utilitate communi, magni animi et excelsi est. Detrahere autem alteri sui commodi causa, magis est contra naturam, quam mors, quam dolor, quam cætera generis ejusdem.

Itemque magis est secundum naturam, pro omnibus gentibus, si fieri possit, conservandis, aut juvandis maximos labores molestiasque suscipere, imitantem Herculem illum, quem hominum fama, beneficiorum memor, in concilio cœlestium collocavit; quam vivere in solitudine, non modo sine ullis molestiis, sed etiam in maximis voluptatibus, abundantem omnibus copiis; ut excellas etiam pulchritudine et viribus. Quocirca optimo quisque et splendidissimo ingenio longe illam vitam huic anteponit. Ex quo efficitur, hominem, naturæ obedientem, homini nocere non posse.

Deinde, qui alterum violat, ut ipse aliquid commodi consequatur; aut nihil se existimat contra naturam facere; aut magis fugiendam censet mortem, paupertatem, dolorem, amissionem etiam liberorum, propinquorum, amicorum, quam facere cuipiam injuriam. Si nihil existimat contra naturam fieri hominibus violandis; quid cum eo disseras, qui omnino hominem ex homine tollat? sin fugiendum id quidem censet, sed et multo illa pejora, mortem, paupertatem, dolorem; errat in eo, quod ullum aut corporis, aut fortunæ vitium, animi vitiis gravius existimat.

CAP. VI.

6. Ergo unum debet esse omnibus propositum, ut eadem sit utilitas uniuscujusque et universorum: quam

si ad se quisque rapiat, dissolvetur omnis humana consortio. Atque etiam, si hoc natura præscribit, ut homo homini, quicumque sit, ob eam ipsam causam, quod is homo sit, consultum velit; necesse est secundum eamdem naturam omnium utilitatem esse communem. Quod si ita est, una continemur omnes, et eadem lege naturæ: idque ipsum si ita est, certe violare alterum lege naturæ prohibemur: verum autem primum: verum igitur et extremum. Nam illud quidem absurdum est, quod quidam dicunt, parenti se, aut fratri nihil detracturos, commodi sui causa; aliam rationem esse civium reliquorum: hi sibi nihil juris, et nullam societatem, communis utilitatis causa, statuunt esse cum civibus: quæ sententia omnem societatem distrahit civitatis. Qui autem civium rationem dicunt habendam, externorum negant: hi dirimunt communem humani generis societatem: qua sublata, beneficentia, liberalitas, bonitas, justitia funditus tollitur: quæ qui tollunt, etiam adversus deos immortales impii judicandi sunt. Ab iis enim constitutam inter homines societatem evertunt: cujus societatis arctissimum vinculum est, magis arbitrari esse contra naturam, hominem homini detrahere, sui commodi causa, quam omnia incommoda subire vel externa, vel corporis, vel etiam ipsius animi, quæ vacent justitia. Hæc enim una virtus omnium est domina et regina virtutum.

Forsitan quispiam dixerit: Nonne igitur sapiens, si fame ipse conficiatur, abstulerit cibum alteri, homini ad nullam partem utili? Minime vero. Non enim mihi est vita mea utilior, quam animi talis affectio, neminem ut violem commodi mei gratia. Quid? si Phalarim, crudelem tyrannum et immanem, vir bonus, ne ipse frigore conficiatur, vestitu spoliare possit, nonne faciat? Hæc ad judicandum sunt facillima. Nam, si quid ab homine ad nullam partem utili, tuæ utilitatis causa detraxeris; inhumane feceris, contraque naturæ legem: sin autem is tu sis, qui multam utilitatem reipublicæ

atque hominum societati, si in vita remaneas, afferre possis; si quid ob eam causam alteri detraxeris, non sit reprehendendum: sin autem id non sit ejusmodi; suum cuique incommodum ferendum est potius, quam de alterius commodis detrahendum. Non igitur magis est contra naturam morbus, aut egestas, aut quid hujusmodi, quam detractio, aut appetitio alieni. Sed communis utilitatis derelictio contra naturam est. Est enim injusta. Itaque lex ipsa naturæ, quæ utilitatem hominum conservat et continet, decernit profecto, ut ab homine inerti atque inutili, ad sapientem, bonum, fortemque virum transferantur res ad vivendum necessariæ: qui si occiderit, multum de communi utilitate detraxerit: modo hoc ita faciat, ut ne ipse de se bene existimans seseque diligens, hanc causam habeat ad injuriam. Ita semper officio fungetur, utilitati consulens hominum, et ei, quam sæpe commemoro, humanæ societati.

Nam quod ad Phalarim attinet, perfacile judicium est. Nulla enim nobis societas cum tyrannis, sed potius summa distractio est: neque est contra naturam spoliare eum, si possis, quem honestum est necare: atque hoc omne genus pestiferum atque impium, ex hominum communitate exterminandum est. Etenim, ut membra quædam amputantur, si et ipsa sanguine, et tanquam spiritu carere cœperunt, et nocent reliquis partibus corporis: sic ista in figura hominis feritas, et immanitas belluæ, à communi tanquam humanitate corporis segreganda est. Hujus generis sunt quæstiones omnes eæ, in quibus ex tempore officium exquiritur.

CAP. VII.

Ejusmodi igitur credo res Panætium persecuturum fuisse, nisi aliqui casus, aut occupatio consilium ejus peremisset: ad quas ipsas consultationes ex superioribus libris satis multa præcepta sunt, quibus pers-

pici possit, quid sit propter turpitudinem fugiendum; quid sit id, quod idcirco fugiendum non sit, quia omnino turpe non est. Sed quoniam operi inchoato; prope tamen absoluto, tanquam fastigium imponimus; ut geometræ solent non omnia docere, sed postulare, ut quædam sibi concedantur, quo facilius, quæ velint, explicent: sic ego a te postulo, mi Cicero, ut mihi concedas, si potes, nihil, præter id, quod honestum sit, propter se esse expetendum: sin hoc non licet per Cratippum; at illud certe dabis, quod honestum sit, id esse maxime propter se expetendum. Mihi utrumvis satis est; et cum hoc, tum illud probabilius videtur; nec præterea quidquam probabile.

Ac primum Panætius in hoc defendendus est, quod non utilia cum honestis pugnare aliquando posse dixerit (neque enim ei fas erat); sed ea, quæ viderentur utilia. Nihil vero utile, quod non idem honestum; nihil honestum, quod non idem utile sit, sæpe testatur: negatque ullam pestem majorem in vitam hominum invasisse, quam eorum opinionem, qui ista distraxerint. Itaque non ut aliquando anteponeremus utilia honestis, sed ut ea sine errore dijudicaremus, si quando incidissent, induxit eam, quæ videretur esse, non quæ esset, repugnantiam. Hanc igitur partem relictam explebimus, nullius adminiculis, sed (ut dicitur) Marte nostro; neque enim quidquam de hac parte post Panætium explicatum est, quod quidem mihi probaretur, de iis, quæ in manus meas venerunt.

CAP. VIII.

Cum igitur aliqua species utilitatis objecta est, commoveri necesse est. Sed si, cum animum attenderis, turpitudinem videas adjunctam ei rei, quæ speciem utilitatis attulerit; tunc non utilitas relinquenda est, sed intelligendum, ubi turpitudo sit, ibi utilitatem esse non posse. Quod si nihil est tam contra na-

turam, quam turpitudo (recta enim, et convenientia, et constantia natura desiderat, aspernaturque contraria) nihilque tam secundum naturam, quam utilitas: certe in eadem re utilitas et turpitudo esse non potest. Itemque si ad honestatem nati sumus, eaque aut sola expetenda est, ut Zenoni visum est; aut certe omni pondere gravior habenda, quam reliqua omnia, quod Aristoteli placet: necesse est, quod honestum sit, id esse aut solum, aut summum bonum: quod autem bonum, id certe utile: ita quidquid honestum, id utile.

Quare error hominum non proborum, cum aliquid, quod utile visum est, arripuit, id continuo secernit ab honesto. Hinc sicæ, hinc venena, hinc falsa testamenta nascuntur: hinc furta, peculatus, expilationes, direptionesque sociorum et civium: hinc opum nimiarum potentiæ non ferendæ: postremo etiam in liberis civitatibus regnandi *existunt* cupiditates, quibus nihil nec tætrius, nec fœdius excogitari potest. Emolumenta enim rerum fallacibus judiciis vident; pœnam dico legum, quas sæpe perrumpunt, sed ipsius turpitudinis, quæ acerbissima est, non vident.

Quamobrem hoc quidem deliberantium genus pellatur è medio (est enim totum sceleratum et impium) qui deliberant, utrum id sequantur, quod honestum esse videant, an se scientes scelere contaminent: in ipsa enim dubitatione facinus inest, etiamsi ad id non pervenerint. Ergo ea deliberanda omnino non sunt, in quibus est turpis ipsa deliberatio. Atque etiam ex omni deliberatione celandi et occultandi spes opinioque removenda est: satis enim nobis (si modo in philosophia aliquid profecimus) persuasum esse debet, si omnes deos hominesque celare possimus, nihil tamen avare, nihil injuste, nihil libidinose, nihil incontinenter esse faciendum.

CAP. IX.

Hinc ille Gyges inducitur à Platone: qui cum ter

ra discessisset magnis quibusdam imbribus, in illum hiatum descendit, æneumque equum (ut ferunt fabulæ) animadvertit, cujus in lateribus fores essent: quibus apertis, hominis mortui vidit corpus magnitudine inusitata, annulumque aureum in digito: quem ut detraxit, ipse induit (erat autem regius pastor): tum in concilium pastorum se recepit. Ibi cum palam ejus annuli ad palmam converterat, à nullo videbatur, ipse autem omnia videbat: idem rursus videbatur, cum in locum annulum inverterat. Itaque hac opportunitate annuli usus, reginæ stuprum intulit, eaque adjutrice regem dominum interemit, sustulitque quos obstare arbitrabatur; nec in his eum quisquam facinoribus potuit videre. Sic repente annuli beneficio rex exortus est Lydiæ. Hunc igitur ipsum annulum si habeat sapiens, nihilo plus sibi licere putet peccare, quam si non haberet. Honesta enim bonis viris, non occulta quæruntur.

Atque hoc loco philosophi quidam, minime mali illi quidem, sed non satis acuti, fictam et commentitiam fabulam dicunt prolatam à Platone: quasi vero ille, aut factum id esse, aut fieri potuisse defendat. Hæc est vis hujus annuli et hujus exempli: si nemo sciturus, nemo ne suspicaturus quidem sit, cum aliquid, divitiarum, potentiæ, dominationis, libidinis causa, feceris; si id diis hominibusque futurum sit semper ignotum; sisne facturus? Negant id fieri posse: quamquam potest id quidem. Sed quæro, quod negant posse, id si posset, quidnam facerent? Urgent rustice sane. Negant enim posse, et in eo perstant: hoc verbum quid valeat, non vident. Cum enim quærimus, si possint celare, quid facturi sint, non quærimus, possintne celare: sed tanquam tormenta quædam adhibemus, ut, si responderint, se, impunitate proposita, facturos quod expediat, facinorosos se esse fateantur: si negent, omnia turpia per seipsa fugienda esse concedant. Sed jam ad propositum revertamur.

CAP. X.

Incidunt sæpe multæ causæ, quæ conturbent animos utilitatis specie; non, cum hoc deliberetur, relinquendane sit honestas propter utilitatis magnitudinem (nam id quidem improbum est): sed illud possitne id, quod utile videatur, fieri non turpiter. Cum Collatino collegæ Brutus imperium abrogabat, poterat videri facere id injuste: fuerat enim in regibus expellendis socius Bruti, consiliorum etiam adjutor. Cum autem consilium hoc principes cepissent, cognationem Superbi, nomenque Tarquiniorum, et memoriam regnì esse tollendam; quod erat utile, patriæ consulere, id erat ita honestum, ut etiam ipsi Collatino placere deberet. Itaque utilitas valuit propter honestatem: sine qua ne utilitas quidem esse potuisset. At in eo rege, qui urbem condidit, non ita. Species enim utilitatis animum pepulit ejus: cui cum visum esset utilius, solum, quam cum altero regnare, fratrem interemit. Omisit hic et pietatem et humanitatem, ut id, quod utile videbatur, neque erat, assequi posset; et tamen muri causam opposuit, speciem honestatis neque probabilem, neque satis idoneam. Peccavit igitur, pace vel Quirini, vel Romuli dixerim.

Nec tamen nostræ nobis utilitates omittendæ sunt, aliisque tradendæ, cum his ipsi egeamus: sed suæ cuique utilitati, quod sine alterius injuria fiat, serviendum est. Scite Chrysippus, ut multa: Qui stadium, inquit, currit, eniti et contendere debet, quam maxime possit, ut vincat: supplantare eum, quicum certet, aut manu depellere, nullo modo debet: sic in vita sibi quemque petere, quod pertineat ad usum, non iniquum est; alteri deripere, jus non est.

Maxime autem perturbantur officia in amicitiis: quibus et non tribuere, quod recte possis, et tribuere, quod non sit æquum, contra officium est. Sed hujus ge-

neris totius, breve et non difficile præceptum est. Quæ enim videntur utilia, honores, divitiæ, voluptates, cætera generis ejusdem, hæc amicitiæ nunquam anteponenda sunt. At neque contra rempublicam, neque contra jusjurandum ac fidem, amici causa, vir bonus faciet; ne si judex quidem erit de ipso amico: ponit enim personam amici, cum induit judicis. Tantum dabit amicitiæ, ut veram amici causam esse malit, et ut orandæ litis tempus, quoad per leges liceat, accommodet. Cum vero jurato sententia dicenda sit; meminerit, deum se adhibere testem, id est (ut arbitror) mentem suam, qua nihil homini dedit deus ipse divinius. Itaque præclarum à majoribus accepimus morem rogandi judicis, si eum teneremus, *quæ salva fide facere possit.* Hæc rogatio ad ea pertinet, quæ paulo ante dixi, honeste amico à judice posse concedi. Nam, si omnia facienda sint, quæ amici velint; non amicitiæ tales, sed conjurationes putandæ sint.

Loquor autem de communibus amicitiis: nam in sapientibus viris perfectisque, nihil potest esse tale. Damonem et Phintiam, Pythagoreos, ferunt hoc animo inter se fuisse, ut, cum eorum alteri Dionysius tyrannus diem necis destinavisset, et is, qui morti addictus esset, paucos sibi dies commendandorum suorum causa postulavisset, vas factus sit alter ejus sistendi; ut, si ille non revertisset, moriendum esset ipsi. Qui cum ad diem se recepisset, admiratus eorum fidem tyrannus, petivit, ut se ad amicitiam tertium adscriberent.

CAP. XI.

Cum igitur id, quod utile videtur in amicitia, cum eo, quod honestum est, comparatur; jaceat utilitatis species, valeat honestas. Cum autem in amicitia, quæ honesta non sunt, postulabuntur; religio et fides anteponantur amicitiæ: sic habebitur is, quem exquirimus, delectus officii.

Sed utilitatis specie in republica sæpissime peccatur, ut in Corinthi disturbatione nostri. Durius etiam Athenienses, qui sciverunt, ut Æginetis, qui classe valebant, pollices præciderentur. Hoc visum est utile: nimis enim imminebat, propter propinquitatem, Ægina Piræeo. Sed nihil, quod crudele, utile. Est enim hominum naturæ, quam sequi debemus, maxime inimica crudelitas.

Male etiam, qui peregrinos urbibus uti prohibent, eosque exterminant, ut Pennus apud patres nostros, Papius nuper. Nam esse pro cive, qui civis non sit, rectum est non licere: quam tulerunt legem sapientissimi consules, Crassus et Scævola: usu vero urbis prohibere peregrinos, sane inhumanum est. Illa præclara, in quibus publicæ utilitatis species præ honestate contemnitur. Plena exemplorum est nostra respublica, cum sæpe, tum maxime bello Punico secundo: quæ, Cannensi calamitate accepta, majores animos habuit, quam unquam rebus secundis. Nulla timoris significatio, nulla mentio pacis. Tanta vis est honesti, ut speciem utilitatis obscuret.

Athenienses cum Persarum impetum nullo modo possent sustinere, statuerentque, ut urbe relicta, conjugibus et liberis Trœzene depositis, naves conscenderent, libertatemque Græciæ classe defenderent; Cyrsilum quemdam suadentem, ut in urbe manerent, Xerxemque reciperent, lapidibus obruerunt. Atque ille utilitatem sequi videbatur: sed ea nulla erat repugnante honestate.

Themistocles post victoriam ejus belli, quod cum Persis fuit, dixit in concione, se habere consilium reipublicæ salutare; sed id sciri opus non esse. Postulavit, ut aliquem populus daret, quicum communicaret. Datus est Aristides. Huic ille, classem Lacedæmoniorum, quæ subducta esset ad Gytheum, clam incendi posse: quo facto frangi Lacedæmoniorum opes necesse esse. Quod Aristides cum audisset, in concionem mag-

na expectatione venit: dixitque, perutile esse consilium, quod Themistocles afferret; sed minime honestum. Itaque Athenienses, quod honestum non esset, id ne utile quidem putaverunt; totamque eam rem, quam ne audierant quidem, auctore Aristide repudiaverunt. Melius hi, quam nos, qui piratas immunes; socios vectigales habemus.

CAP. XII.

Maneat ergo, quod turpe sit, id nunquam esse utile; ne tum quidem, cum id, quod esse utile putes, adipiscare. Hoc enim ipsum utile putare, quod turpe sit, calamitosum est. Sed incidunt (ut supra dixi) sæpe causæ, cum repugnare utilitas honestati videatur, ut animadvertendum sit, repugnetne plane, an possit cum honestate conjungi. Ejus generis hæc sunt quæstiones: Si (exempli gratia) vir bonus Alexandria Rhodum magnum frumenti numerum advexerit in Rhodiorum inopia et fame, summaque annonæ caritate; si idem sciat, complures mercatores Alexandria solvisse, navesque in cursu, frumento onustas, petentes Rhodum, viderit; dicturusne sit id Rhodiis, an silentio suum quam plurimo venditurus? Sapientem et bonum virum fingimus: de ejus deliberatione et consultatione quærimus, qui celaturus Rhodios non sit, si id turpe judicet; sed dubitet, turpe sit, an non sit.

In hujusmodi causis aliud Diogeni Babylonio videri solet, magno et gravi Stoico; aliud Antipatro, discipulo ejus, homini acutissimo. Antipatro, omnia patefacienda, ut ne quid omnino, quod venditor norit, emptor ignoret: Diogeni, venditorem, quatenus jure civili constitutum sit, dicere vitia oportere, cætera sine insidiis agere; et quoniam vendat, velle quam optime vendere. Advexi, exposui, vendo meum non pluris, quam cæteri: fortasse etiam minoris, cum major est copia. Cui fit injuria? Exoritur Antipatri ra-

tio ex altera parte : Quid ais? tu, cum hominibus consulere debeas, et servire humanæ societati, eaque lege natus sis, et ea habeas principia naturæ, quibus parere, et quæ sequi debeas, ut utilitas tua, communis utilitas sit, vicissimque communis utilitas, tua sit; celabis homines, quid iis adsit commoditatis et copiæ? Respondebit Diogenes fortasse sic. Aliud est celare, aliud tacere: neque ego nunc te celo, si tibi non dico, quæ natura deorum sit, quis sit finis bonorum; quæ tibi plus prodessent cognita, quam tritici vilitas: sed non quidquid tibi audire utile est, id mihi dicere necesse est. Immo vero (inquiet ille) necesse est, si quidem meministi, esse inter homines natura conjunctam societatem. Memini, inquit ille, sed num ista societas talis est, ut nihil suum cujusque sit? Quod si ita est, ne vendendum quidem quidquam est, sed donandum.

CAP. XIII.

Vides in hac tota disceptatione non illud dici. Quamvis hoc turpe sit; tamen, quoniam expedit, faciam; sed ita expedire, ut turpe non sit: ex altera autem parte; ea re, quia turpe sit, non esse faciendum. Vendat ædes vir bonus propter aliqua vitia, quæ ipse norit, cæteri ignorent: pestilentes sint, et habeantur salubres: ignoretur, in omnibus cubiculis apparere serpentes: male materiatæ, ruinosæ: sed hoc præter dominum, nemo sciat. Quæro, si hoc emptoribus venditor non dixerit, ædesque vendiderit pluris multo, quam se venditurum putarit, num id injuste, et improbe fecerit?

Ille vero, inquit Antipater. Quid enim est aliud, erranti viam non monstrare (quod Athenis execrationibus publicis sancitum est) si hoc non est, emptorem pati ruere, et per errorem in maximam fraudem incurrere? Plus etiam est, quam viam non monstrare:

nam est scientem in errorem alterum inducere. Diogenes contra: num te emere coegit, qui ne hortatus quidem est? Ille, quod non placebat, proscripsit; tu, quod placebat, emisti. Quod si qui proscribunt, *villam bonam*, *beneque ædificatam*, non existimantur fefellisse, etiam si illa nec bona est, nec ædificata ratione; multo minus, qui domum non laudarunt. Ubi enim judicium emptoris est, ibi fraus venditoris quæ potest esse? Sin autem dictum non omne præstandum est; quod dictum non est, id præstandum putas? Quid vero est stultius, quam venditorem, ejus rei, quam vendat, vitia narrare? quid autem tam absurdum, quam si domini jussu ita præco prædicet, *Domum pestilentem vendo*?

Sic ergo in quibusdam causis dubiis ex altera parte defenditur honestas, ex altera ita de utilitate dicitur, ut id, quod utile videatur, non modo facere honestum sit; sed etiam, non facere, turpe. Hæc est illa, quæ videtur utilium fieri cum honestis sæpe dissensio. Quæ dijudicanda sunt: non enim, ut quæreremus, exposuimus, sed ut explicaremus. Non igitur videtur nec frumentarius ille Rhodios, nec hic ædium venditor celare emptores debuisse. Neque enim id est celare, quidquid reticeas; sed cum, quod tu scias, id ignorare emolumenti tui causa velis eos, quorum intersit id scire Hoc autem celandi genus quale sit, et cujus hominis, quis non videt? Certe non aperti, non simplicis, non ingenui, non justi, non viri boni; versuti potius, obscuri, astuti, fallacis, malitiosi, callidi, veteratoris, vafri. Hæc tot, et alia plura, nonne inutile est vitiorum subire nomina?

CAP. XIV.

Quod si vituperandi sunt, qui reticuerunt: quid de iis existimandum est, qui orationis vanitatem adhibuerunt? C. Canius, eques Romanus, nec infacetus,

et satis literatus, cum se Syracusas otiandi (ut ipse dicere solebat) non negotiandi causa, contulisset, dictitabat, se hortulos aliquos velle emere, quo invitare amicos, et ubi se oblectare sine interpellatoribus posset. Quod cum percrebuisset, Pythius ei quidam, qui argentariam faceret Syracusis, dixit, venales quidem se hortos non habere, sed licere uti Canio, si vellet, ut suis; et simul ad cœnam hominem in hortos invitavit in posterum diem. Cum ille promisisset, tum Pythius, qui esset, ut argentarius, apud omnes ordines gratiosus, piscatores ad se convocavit, et ab his petivit, ut ante suos hortulos postridie piscarentur; dixitque, quid eos facere vellet. Ad cœnam tempore venit Canius: opipare à Pythio apparatum convivium: cymbarum ante oculos multitudo. Pro se quisque, quod ceperat, afferebat: ante pedes Pythii pisces adjiciebantur.

Tum Canius, Quæso, inquit, quid est hoc, Pythi? tantumne piscium? tantumne cymbarum? Et ille, quid mirum? inquit, hoc loco est, Syracusis quidquid est piscium: hæc aquatio: hac villa isti carere non possunt. Incensus Canius cupiditate, contendit à Pythio, ut venderet. Gravatè ille primo. Quid multa? impetrat: emit homo cupidus et locuples, tanti, quanti Pythius voluit, et emit instructos: nomina facit: negotium conficit. Invitat Canius postridie familiares suos. Venit ipse mature. Scalmum nullum videt. Quærit ex proximo vicino, num feriæ quædam piscatorum essent, quod eos nullos videret. Nullæ (quod sciam), inquit ille: sed hic piscari nulli solent: itaque heri mirabar, quid accidisset. Stomachari Canius. Sed quid faceret? nondum enim Aquilius, collega et familiaris meus, protulerat de dolo malo formulas; in quibus ipsis cum ex eo quæreretur, quid esset *dolus malus*; respondebat, *cum esset aliud simulatum*, *aliud actum.* Hoc quidem sane luculenter, ut ab homine perito definiendi. Ergo et Pythius et omnes aliud agentes, aliud simulantes, perfidi, improbi, malitiosi sunt. Nullum

igitur factum eorum potest utile esse, cum sit tot vitiis inquinatum.

CAP. XV.

Quod si Aquilliana definitio vera est; ex omni vita simulatio dissimulatioque tollenda est. Ita nec ut emat melius, nec ut vendat, quidquam simulabit, aut dissimulabit vir bonus. Atque iste dolus malus etiam legibus erat vindicatus, ut tutela XII tabulis, et circumscriptio adolescentium lege Lætoria; et sine lege judiciis, in quibus additur, *ex fide bona*. Reliquorum autem judiciorum hæc verba maxime excellunt: in arbitrio rei uxoriæ, *melius*, *æquius*; in fiducia, *ut inter bonos bene agier*. Quid ergo? aut in eo, quod *melius*, *æquius*, potest ulla pars inesse fraudis? aut, cum dicitur, *inter bonos bene agier*, quidquam agi dolose aut malitiose potest? Dolus autem malus simulatione et dissimulatione, ut ait Aquilius, continetur. Tollendum est igitur ex rebus contrahendis omne mendacium. Non licitatorem venditor, nec qui contra se liceatur, emptor apponet. Uterque, si ad eloquendum venerit, non plus quam semel eloquetur.

Quintus quidem Scævola, Publii filius, cum postulasset, ut sibi fundus, cujus emptor erat, semel indicaretur, idque venditor ita fecisset, dixit, se pluris æstimare: addidit centum millia. Nemo est, qui hoc boni viri fuisse neget; sapientis, negant: ut si minoris, quam potuisset, vendidisset. Hæc igitur est illa pernicies, quod alios bonos, alios sapientes existimant. Ex quo Ennius, *ne quidquam sapere sapientem, qui sibi ipse prodesse non quiret*. Vere id quidem, si, quid esset *prodesse*, mihi cum Ennio conveniret. Hecatonem quidem Rhodium, discipulum Panætii, video in iis libris, quos de Officio scripsit Q. Tuberoni, dicere, Sapientis esse, nihil contra mores, leges, instituta facientem, habere rationem rei familiaris. Neque

enim solum nobis divites esse volumus, sed liberis, propinquis, amicis, maximeque reipublicæ. Singulorum enim facultates et copiæ, divitiæ sunt civitatis. Huic Scævolæ factum, de quo paulo ante dixi, placere nullo modo potest: etenim omnino tantum se negat facturum compendii sui causa, quod non liceat. Huic nec laus magna tribuenda, nec gratia est. Sed sive et simulatio et dissimulatio, dolus malus est; perpaucæ res sunt, in quibus dolus iste malus non versetur: sive vir bonus est is, qui prodest, quibus potest, nocet nemini, certe istum virum bonum non facile reperiemus. Nunquam igitur est utile peccare, quia semper est turpe; et, quia semper est honestum, virum bonum esse, semper est utile.

CAP. XVI.

Ac de jure quidem prædiorum sancitum est apud nos jure civili, ut in his vendendis vitia dicerentur, quæ nota essent venditori. Nam, cum ex XII tabulis satis esset ea præstari, quæ essent lingua nuncupata; quæ qui inficiatus esset, dupli pœnam subiret: à jureconsultis etiam reticentiæ pœna est constituta. Quidquid enim esset in prædio vitii, id statuerunt, si venditor sciret, nisi nominatim dictum esset, præstari oportere. Ut, cum in arce augurium augures acturi essent, jussissentque Titum Claudium Centumalum, qui ædes in Cœlio monte habebat, demoliri ea, quorum altitudo officeret auspiciis; Claudius proscripsit insulam, vendidit: emit P. Calpurnius Lanarius. Huic ab auguribus illud idem denuntiatum est. Itaque Calpurnius cum demolitus esset, cognossetque, Claudium ædes postea proscripsisse, quam esset ab auguribus demoliri jussus, arbitrum illum adegit, quidquid sibi dare, facere oporteret *ex fide bona.* M. Cato sententiam dixit, hujus nostri Catonis pater: ut enim cæteri ex patribus, sic, qui lumen illud progenuit, ex filio est

nominandus. Is igitur judex ita pronuntiavit: cum in venundando rem eam scisset, et non pronuntiasset, emptori damnum præstari oportere. Igitur ad fidem bonam statuit pertinere, notum esse emptori vitium, quod nosset venditor.

Quod si recte judicavit; non recte frumentarius ille, non recte ædium pestilentium venditor tacuit. Sed hujusmodi reticentiæ jure civili omnes comprehendi non possunt: quæ autem possunt, diligenter tenentur. M. Marius Gratidianus, propinquus noster, C. Sergio Oratæ vendiderat ædes eas, quas ab eodem ipse paucis ante annis emerat. Hæ Sergio serviebant; sed hoc in mancipio Marius non dixerat. Adducta res in judicium est. Oratam Crassus, Gratidianum defendebat Antonius. Jus Crassus urgebat; quod vitii venditor non dixisset sciens, id oportere præstari: æquitatem Antonius; quoniam id vitium ignotum Sergio non fuisset, qui illas ædes vendidisset, nihil fuisse necesse dici; nec eum esse deceptum, qui id, quod emerat, quo jure esset, teneret. Quorsum hæc? ut illud intelligas, non placuisse majoribus nostris astutos.

CAP. XVII.

Sed aliter leges, aliter philosophi tollunt astutias: leges, quatenus manu tenere possunt; philosophi, quatenus ratione et intelligentia. Ratio igitur postulat, ne quid insidiose, ne quid simulate, ne quid fallaciter. Suntne igitur insidiæ, tendere plagas, etiam si excitaturus non sis feras, nec agitaturus? ipsæ enim, nullo insequente, sæpe incidunt. Sic tu ædes proscribas, tabulam tanquam plagam ponas, domum propter vitia vendas; in eam aliquis incurrat imprudens. Hoc quamquam video propter depravationem consuetudinis, neque more turpe haberi, neque aut lege sanciri, aut jure civili; tamen naturæ lege sancitum est. Societas enim est, quod etsi sæpe dictum est, dicendum ta-

men est sæpius, latissime quidem quæ pateat, hominum inter homines: interior eorum, qui ejusdem gentis sunt; proprior eorum, qui ejusdem civitatis. Itaque majores aliud jus gentium, aliud jus civile esse voluerunt. Quod civile, non continuo gentium; quod autem gentium, idem civile esse debet. Sed nos veri juris, germanæque justitiæ solidam et expressam effigiem nullam tenemus; umbra et imaginibus utimur: eas ipsas utinam sequeremur! feruntur enim ex optimis naturæ et veritatis exemplis. Nam quanti verba illa, *Utinæ propter te, fidemve tuam captus, fraudatusve sum?* Quam illa aurea! *Ut inter bonos bene agier oportet*, *et sine fraudatione?*

Sed, qui sint *boni*, et quid sit *bene agi*, magna quæstio est. Q. quidem Scævola, pontifex maximus, summam vim dicebat esse in omnibus iis arbitriis, in quibus adderetur, *ex fide bona*; fideique bonæ nomen existimabat manare latissime, idque versari in tutelis, societatibus, fiduciis, mandatis, rebus emptis, venditis, conductis, locatis, quibus vitæ societas contineretur: in iis magni esse judicis, statuere (præsertim cum in plerisque essent judicia contraria) quid quemque cuique præstare oporteret.

Quocirca astutiæ tollendæ sunt, eaque malitia, quæ vult illa quidem videri se esse prudentiam; sed abest ab ea, distatque plurimum. Prudentia est enim locata in delectu bonorum et malorum; malitia (si omnia, quæ turpia sunt, mala sunt) mala bonis anteponit. Nec vero in prædiis solum jus civile, ductum à natura, malitiam fraudemque vindicat; sed etiam in mancipiorum venditione fraus venditoris omnis excluditur. Qui enim scire debuit de sanitate, de fuga, de furtis, præstat edicto ædilium. Hæredum alia causa est. Ex quo intelligitur, quoniam juris natura fons sit, hoc secundum naturam esse, neminem id agere, ut ex alterius prædetur inscientia. Nec ulla pernicies vitæ major inveniri potest, quam in malitia simulatio intelligentiæ;

ex quo ista innumerabilia nascuntur, ut utilia cum honestis pugnare videantur. Quotus enim quisque reperietur, qui impunitate et ignoratione omnium proposita, abstinere possit injuria?

CAP. XVIII.

Periclitemur, si placet, in iis quidem exemplis, in quibus peccari vulgus hominum fortasse non putat. Neque enim de sicariis, veneficis, testamentariis, furibus, peculatoribus hoc loco disserendum est; qui non verbis sunt et disputatione philosophorum, sed vinculis et carcere fatigandi. Sed hæc consideremus, quæ faciunt ii, qui habentur boni.

L. Minucii Basili, locupletis hominis, falsum testamentum quidam è Græcia Romam attulerunt: quod quo facilius obtinerent, scripserant hæredes secum M. Crassum et Q. Hortensium, homines ejusdem ætatis potentissimos: qui, cum illud falsum esse suspicarentur, sibi autem nullius essent conscii culpæ, alieni facinoris munusculum non repudiaverunt. Quid ergo? satin' hoc est, ut non deliquisse videantur? Mihi quidem non videtur; quanquam alterum amavi vivum, alterum non odi mortuum. Sed cum Basilus M. Satrium, sororis filium, nomen suum ferre voluisset, eumque fecisset hæredem: *Hunc dico patronum agri Piceni et Sabini*: (ò turpem notam temporum illorum!) num erat æquum, principes cives rem habere, ad Satrium nihil præter nomen pervenire? Etenim, si is, qui non defendit injuriam, neque propulsat à suis, cùm potest, injuste facit, ut in primo libro disserui; qualis habendus est is, qui non modo non repellit, sed etiam adjuvat injuriam? Mihi quidem etiam veræ hæreditates, non honestæ videntur, si sint malitiosis blanditiis officiorum, non veritate, sed simulatione quæsitæ. Atqui in talibus rebus aliud utile interdum, aliud honestum videri solet. Falso: nam eadem utilitatis, quæ honesta-

tis est regula. Qui hoc non perviderit, ab hoc nulla fraus aberit, nullum facinus. Sic enim cogitans: *Est istuc quidem honestum, verum hoc expedit*: res à natura copulatas audebit errore divellere; qui fons est fraudium, maleficiorum, scelerum omnium.

CAP. XIX.

Itaque si vir bonus habeat hanc vim, ut, si digitis concrepuerit, possit in locupletium testamenta nomen ejus irrepere, hac vi non utatur, ne si exploratum quidem habeat, id omnino neminem unquam suspicaturum. At dares hanc vim M. Crasso, ut digitorum percussione hæres posset scriptus esse, qui re vera non esset hæres; in foro, mihi crede, saltaret. Homo autem justus, isque, quem sentimus virum bonum, nihil cuiquam, quod in se transferat, detrahet. Hoc qui admiratur, is se, quid sit vir bonus, nescire fateatur. At vero si quis voluerit animi sui complicatam notionem evolvere, jam se ipse doceat, eum virum bonum esse, qui prosit quibus possit; noceat nemini, nisi lacessitus injuria. Quid ergo? hic non noceat, qui quodam quasi veneno perficiat, ut veros hæredes moveat, in eorum locum ipse succedat? Non igitur faciat (dixerit quis) quod utile sit, quod expediat? Immo intelligat, nihil nec expedire, nec utile esse, quod sit injustum. Hoc qui non didicerit, bonus vir esse non poterit.

Fimbriam consularem, audiebam de patre nostro puer, judicem M. Lutatio Pinthiæ fuisse, equiti Romano sane honesto, cum is sponsionem fecisset, *ni bonus vir esset*. Itaque ei dixisse Fimbriam, se illam rem nunquam judicaturum, ne aut spoliaret fama probatum hominem, si contra judicasset; aut statuisse videretur, virum bonum aliquem esse, cum ea res innumerabilibus officiis et laudibus contineretur. Huic igitur viro bono, quem Fimbria etiam, non modo Socrates nove-

rat, nullo modo videri potest quidquam esse utile, quod non honestum sit. Itaque talis vir non modo facere, sed ne cogitare quidem quidquam audebit, quod non audeat prædicare. Hæc nonne est turpe dubitare philosophos, quæ ne rustici quidem dubitent? à quibus natum est id, quod jam contritum est vetustate proverbium: cum enim fidem alicujus bonitatemque laudant, dignum esse dicunt, quicum in tenebris mices. Hoc quam habet vim, nisi illam, nihil expedire quod non deceat, etiam si id possis nullo refellente obtinere? Videsne igitur, hoc proverbio, neque Gygi illi posse veniam dari, neque huic, quem paulo ante fingebam, digitorum percussione hæreditates omnium posse convertere? Ut enim, quod turpe est, id quamvis occultetur, tamen honestum fieri nullo modo potest; sic, quod honestum non est, id utile ut sit, effici non potest, adversante et repugnante natura.

CAP. XX.

At enim, cum permagna præmia sunt, est causa peccandi. C. Marius cum à spe consulatus longe abesset, et jam septimum annum post præturam jaceret, neque petiturus unquam consulatum videretur; Q. Metellum, cujus legatus erat, summum virum et civem, cum ab eo, imperatore suo, Romam missus esset, apud populum Romanum criminatus est, bellum illum ducere: si se consulem fecissent, brevi tempore, aut vivum, aut mortuum Jugurtham se in potestatem populi Romani redacturum. Itaque factus est ille quidem consul, sed à fide justitiaque discessit, qui optimum et gravissimum civem, cujus legatus, et à quo missus esset, in invidiam falso crimine adduxerit.

Ne noster quidem Gratidianus officio boni viri functus est tum, cum pretor esset, collegiumque prætorum tribuni plebis adhibuissent, ut res nummaria de communi sententia constitueretur. *Jactabatur enim*

temporibus illis nummus, sic, ut nemo posset scire, quid haberet. Conscripserunt communiter edictum cum pœna atque judicio; constitueruntque, ut omnes simul in Rostra post meridiem descenderent: et cæteri quidem alius alio; Marius à subselliis in Rostra recta, idque quod communiter compositum fuerat, solus edixit. Et ea res (si quæris) ei magno honori fuit. Omnibus vicis statuæ: ad eas thus et cerei. Quid multa? nemo unquam multitudini fuit carior.

Hæc sunt, quæ conturbant homines in deliberatione nonnunquam, cum id, in quo violatur æquitas, non ita magnum; illud autem, quod ex eo paritur, permagnum videtur: ut Mario, præripere collegis et tribunis plebis popularem gratiam, non ita turpe; consulem ob eam rem fieri, quod sibi tunc proposuerat, valde utile videbatur. Sed omnium una regula est, quam tibi cupio esse notissimam: aut illud, quod utile videtur, turpe ne sit; aut si turpe est, ne videatur esse utile. Quid igitur? possumusne aut illum Marium, virum bonum judicare, aut hunc? Explica atque excute intelligentiam tuam, ut videas, quæ sit in ea species, forma, et notio viri boni. Cadit ergo in virum bonum, mentiri emolumenti sui causa, criminari, præripere, fallere? Nihil profecto minus. Est ergo ulla res tanti, aut commodum ullum tam expetendum, ut viri boni et splendorem et nomen amittas? Quid est, quod afferre tantum utilitas ista, quæ dicitur, possit, quantum auferre, si boni viri nomen eripuerit, fidem justitiamque detraxerit? Quid enim interest, utrum ex homine se quis convertat in belluam, an in hominis figura immanitatem gerat belluæ?

CAP. XXI.

Quid? qui omnia recta et honesta negligunt, dummodo potentiam consequantur, nonne idem faciunt, quod is, qui etiam socerum habere voluit eum, cu-

jus ipse audacia potens esset? Utile ei videbatur plurimum posse alterius invidia: id quam injustum in patriam, quam inutile, quam turpe esset, non videbat. Ipse autem socer in ore semper Græcos versus de Phœnissis habebat, quos dicam ut potero, incondite fortasse, sed tamen ut res possit intelligi:

Nam si violandum est jus, regnandi gratia
Violandum est: aliis rebus pietatem colas.

Capitalis Eteocles, vel potius Euripides, qui id unum, quod omnium sceleratissimum fuerat, exceperit.

Quid igitur minuta colligimus, hæreditates, mercaturas, venditiones fraudulentas? Ecce tibi, qui rex populi Romani dominusque omnium gentium esse concupierit, idque perfecerit. Hanc cupiditatem si honestam quis esse dicit, amens est: probat enim legum et libertatis interitum; earumque oppressionem tætram et detestabilem, gloriosam putat. Qui autem fatetur, honestum non esse in ea civitate, quæ libera fuit, quæque esse debeat, regnare, sed ei, qui id facere possit, esse utile; qua hunc objurgatione, aut quo potius convicio à tanto errore coner avellere? Potest enim, dii immortales! cuiquam esse utile fœdissimum et tæterrimum parricidium patriæ; quamvis is, qui se eo obstrinxerit, ab oppressis civibus Parens nominetur? Honestate igitur dirigenda utilitas est, et quidem sic, ut hæc duo, verbo inter se discrepare, re tamen unum sonare videantur.

Non habeo, ad vulgi opinionem, quæ major utilitas, quam regnandi, esse possit: nihil contra inutilius ei, qui id injuste consecutus sit, invenio, cum ad veritatem cœpi revocare rationem. Possunt enim cuiquam esse utiles, angores, sollicitudines, diurni et nocturni metus, vita insidiarum periculorumque plenissima?

Multi iniqui atque infideles regno, pauci sunt boni, inquit Accius. At cui regno? quod à Tantalo et Pelo-

ne proditum jure obtinebatur. Nam quanto plures ei regi putas, qui exercitu populi Romani populum ipsum Romanum oppressisset, civitatemque non modo liberam, sed etiam gentibus imperantem, servire sibi coegisset? Hunc tu quas conscientiæ labes in animo censes habuisse? quæ vulnera? Cujus autem vita ipsi potest utilis esse, cum ejus vitæ ea conditio sit, ut, qui illam eripuerit, in maxima et gratia futurus sit et gloria? Quod si hæc utilia non sunt, quæ maxime videntur, quia plena sunt dedecoris ac turpitudinis; satis persuasum esse debet, nihil esse utile, quod non idem honestum sit.

CAP. XXII.

Quanquam id quidem, cum sæpe alias, tum Pyrrhi bello à C. Fabricio, consule iterum, et à senatu nostro judicatum est. Cum enim rex Pyrrhus populo Romano bellum ultro intulisset, cumque de imperio certamen esset cum rege generoso ac potente; perfuga ab eo venit in castra Fabricii, eique est pollicitus, si præmium sibi proposuisset, se, ut clam venisset, sic clam in Pyrrhi castra rediturum, et eum veneno necaturum. Hunc Fabricius reducendum curavit ad Pyrrhum: idque factum ejus à senatu laudatum est. Atqui si speciem utilitatis opinionemque quærimus, magnum illud bellum perfuga unus, et gravem adversarium imperii sustulisset; sed magnum dedecus et flagitium, quicum laudis certamen fuisset, eum non virtute, sed scelere superatum.

Utrum igitur utilius vel Fabricio, qui talis in hac urbe, qualis Aristides Athenis fuit, vel senatui nostro, qui nunquam utilitatem à dignitate sejunxit, armis cum hoste certare, an venenis? Si gloriæ causa imperium expetendum est, scelus absit, in quo non potest esse gloria: sin ipsæ opes expetuntur quoquo modo, non poterunt utiles esse cum infamia. Non igitur utilis illa

L. Philippi, Q. filii sententia, quas civitates L. Sylla, pecunia accepta, ex senatusconsulto liberavisset, ut hæ rursus vectigales essent; neque his pecuniam, quam pro libertate dederant, redderemus. Est ei senatus assensus: turpe imperio: piratarum enim melior fides, quam senatus. At aucta vectigalia: utile igitur. Quousque audebunt dicere quidquam utile, quod non honestum? Potest autem ulli imperio, quod gloria fultum esse debet, et benevolentia sociorum, utile esse odium et infamia? Ego etiam cum Catone meo sæpe dissensi. Nimis mihi præfracte videbatur ærarium vectigaliaque defendere, omnia publicanis negare, multa sociis: cum in hos benefici esse deberemus, cum illis sic agere, ut cum colonis nostris soleremus; eoque magis, quo illa ordinum conjunctio ad salutem reipublicæ pertinebat. Male etiam Curio, cum causam Transpadanorum æquam esse dicebat; semper autem addebat, *Vincat utilitas.* Potius diceret, non esse æquam, quia non esset utilis reipublicæ, quam, cum utilem esse diceret, non esse æquam fateretur.

CAP. XXIII.

Plenus est sextus liber de officiis Hecatonis talium quæstionum: sitne boni viri, in maxima caritate annonæ, familiam non alere. In utramque partem disputat: sed tamen ad extremum utilitate putat officium dirigi magis, quam humanitate Quærit, si in mari jactura facienda sit, equine pretiosi potius jacturam faciat, an servuli vilis. Hic alio res familiaris, alio ducit humanitas. Si tabulam de naufragio stultus arripuerit, extorquebitne eam sapiens, si potuerit? Negat, quia sit injurium. Quid? dominus navis, eripietne suum? minime: non plus, quam si navigantem in alto ejicere de navi velit, quia sua sit. Quoad enim perventum sit eo, quo sumpta navis est, non domini est navis, sed navigantium.

Quid, si in una tabula sint duo naufragi, hique sapientes, sibine utervis rapiat, an alter cedat alteri? cedat vero; sed ei, cujus magis intersit vel sua, vel reipublicæ causa, vivere. Quid, si hæc paria in utroque? Nullum erit certamen, sed quasi sorte aut micando victus, alteri cedat alter. Quid, si pater fana expilet, cuniculos agat ad ærarium; indicetne id magistratibus filius? nefas id quidem est: quin etiam defendat patrem, si arguatur. Non igitur patria præstat omnibus officiis? immo vero; sed ipsi patriæ conducit, pios cives habere in parentes. Quid, si tyrannidem occupare, si patriam prodere conabitur pater? silebitne filius? immo vero obsecrabit patrem, ne id faciat: si nihil proficiet, accusabit: minabitur etiam: ad extremum si ad perniciem patriæ res spectabit, patriæ salutem anteponet saluti patris.

Quærit etiam, si sapiens adulterinos nummos acceperit imprudens pro bonis; cum id rescierit, soluturusne sit eos, si cui debeat, pro bonis. Diogenes ait: Antipater negat: cui potius assentior. Qui vinum fugiens vendat sciens, debeatne dicere? Non necesse putat Diogenes: Antipater viri boni existimat. Hæc sunt quasi controversa jura Stoicorum. In mancipio vendendo, dicendane vitia, non ea, quæ nisi dixeris, redhibeatur mancipium jure civili; sed hæc, mendacem esse, aleatorem, furacem, eoriosum. Alteri dicenda videntur, alteri non videntur Si quis aurum vendens, orichalcum se putet vendere, indicetne ei vir bonus aurum illud esse, an emat denario, quod sit mille denarium? Perspicuum jam est, et quid mihi videatur, et quæ sit inter eos philosophos, quos nominavi, controversia.

CAP. XXIV.

Pacta et promissa semperne servanda sint, quæ nec vi, nec dolo malo (ut prætores solent) facta sint?

*

Si quis medicamentum cuipiam dederit ad aquam intercutem, pepigeritque, ne illo medicamento unquam postea uteretur: si eo medicamento sanus factus fuerit; et annis aliquod post inciderit in eumdem morbum; nec ab eo, quicum pepigerat, impetret, ut iterum eo liceat uti, quid faciendum sit? Cum sit is inhumanus, qui non concedat uti, nec ei quidquam fiat injuriæ; vitæ et saluti consulendum.

Quid? si quis sapiens rogatus sit ab eo, qui eum hæredem faciat, cum ei testamento sestertium millies relinquatur, ut antequam hæreditatem adeat, luce palam in foro saltet, idque se facturum promiserit, quod aliter eum hæredem scripturus ille non esset; faciat, quod promiserit, necne? Promisisse nollem, et id arbitror fuisse gravitatis: sed quoniam promisit, si saltare in foro turpe ducet, honestius mentietur, si ex hæreditate nihil ceperit, quam si ceperit: nisi forte eam pecuniam in reipublicæ magnum aliquod tempus contulerit; ut vel saltare eum, cum patriæ consulturus sit, turpe non sit.

CAP. XXV.

Ac ne illa quidem promissa servanda sunt, quæ non sunt iis ipsis utilia, quibus illa promiseris. Sol Phaëthonti filio (ut redeamus ad fabulas) facturum se esse dixit, quidquid optasset: optavit, ut in currum patris tolleretur: sublatus est, atque insanus qua constitit, ictu fulminis deflagravit. Quanto melius fuerat, in hoc, promissum patris non esse servatum? Quid, quod Theseus exegit promissum à Neptuno? cui cum tres optationes Neptunus dedisset, optavit interitum Hippolyti, filii sui, cum is patri suspectus esset de noverca: quo optato impetrato, Theseus in maximis fuit luctibus.

Quid? Agamemnon cum devovisset Dianæ, quod in suo regno pulcherrimum natum esset illo anno, immolavit Iphigeniam, qua nihil erat eo quidem anno

natum pulchrius: promissum potius non faciendum, quam tam tætrum facinus admittendum fuit. Ergo et promissa non facienda nonnunquam: neque semper deposita reddenda. Si gladium quis apud te sana mente deposuerit, repetat insaniens; reddere, peccatum sit; non reddere, officium. Quid? si is, qui apud te pecuniam deposuerit, bellum inferat patriæ, reddasne depositum? non, credo: facias enim contra rempublicam, quæ debet esse carissima. Sic multa, quæ honesta natura videntur esse, temporibus fiunt non honesta. Facere promissa, stare conventis, reddere deposita, commutata utilitate, fiunt non honesta. Ac de iis quidem, quæ videntur esse utilitates contra justitiam simulatione prudentiæ, satis arbitror dictum.

Sed quoniam à quatuor fontibus honestatis primo libro officia duximus, in eisdem versabimur, cum docebimus, ea, quæ videntur esse utilia, neque sunt, quam sint virtutis inimica. Ac de prudentia quidem, quam vult imitari malitia; itemque de justitia, quæ semper est utilis, disputatum est. Reliquæ sunt duæ partes honestatis, quarum altera in animi excellentis magnitudine et præstantia cernitur; altera in conformatione et moderatione continentiæ et temperantiæ.

CAP. XXVI.

Utile videbatur Ulyssi, ut quidem poetæ tragici prodiderunt: nam apud Homerum, optimum auctorem, talis de Ulysse nulla suspicio est: sed insimulant eum tragœdiæ, simulatione insaniæ militiam subterfugere voluisse. Non honestum consilium: at utile (ut aliquis fortasse dixerit) regnare, et Ithacæ vivere otiose cum parentibus, cum uxore, cum filio. Ullum tu decus in quotidianis periculis et laboribus cum hac tranquillitate conferendum putas? Ego vero istam contemnendam et adjiciendam; quoniam, quæ honesta non sit, ne utilem quidem esse arbitror. Quid enim auditurum putas

fuisse Ulyssem, si in illa simulatione perseverasset? qui cum maximas res gesserit in bello, tamen hæc audiat ab Ajace:

Cuju' ipse princeps jurisjurandi fuit,
Quod omnes scitis, solus neglexit fidem.
Furere assimulavit; ne coiret, institit.
Quod ni Palamedis perspicax prudentia
Istius percepset malitiosum audacium,
Fide sacratum jus perpetuo falleret.

Illi vero non modo cum hostibus, verum etiam cum fluctibus, id quod fecit, dimicare melius fuit, quam deserere consentientem Græciam ad bellum barbaris inferendum.

Sed dimittamus et fabulas, et externa: ad rem factam nostramque veniamus. M. Atilius Regulus, cum consul iterum in Africa ex insidiis captus esset, duce Xantippo Lacedæmonio, imperatore autem patre Annibalis Hamilcare, juratus missus est ad senatum, ut, nisi redditi essent Pœnis captivi nobiles quidam, rediret ipse Carthaginem. Is cum Romam venisset, utilitatis speciem videbat; sed eam, ut res declarat, falsam judicavit; quæ erat talis: manere in patria, esse domi suæ cum uxore, cum liberis; quam calamitatem accepisset in bello, communem fortunæ bellicæ judicantem, tenere consularis dignitatis gradum: quis hæc neget esse utilia? quæ censes? magnitudo animi et fortitudo negat.

CAP. XXVII.

Num locupletiores quæris auctores? Harum enim est virtutum proprium, nil extimescere, omnia humana despicere, nihil, quod homini accidere possit, intolerandum putare. Itaque quid fecit? In senatum venit: mandata exposuit: sententiam ne diceret, recusavit: quam diu jurejurando hostium teneretur, non esse se senatorem. Atque illud etiam (ò stultum hominem, dixerit quispiam, et repugnantem utilitati suæ!) red-

di captivos, negavit esse utile: illos enim adolescentes esse, et bonos duces, se jam confectum senectute: cujus cum valuisset auctoritas, captivi retenti sunt: ipse Carthaginem rediit: neque eum caritas patriæ retinuit, nec suorum. Neque vero tum ignorabat, se ad crudelissimum hostem, et ad exquisita supplicia proficisci; sed jusjurandum conservandum putabat. Itaque tum, cum vigilando necabatur; erat in meliore causa, quam si domi senex captivus, perjurus consularis remansisset. At stulte, qui non modo non censuerit captivos remittendos, verum etiam dissuaserit. Quomodo stulte? etiamne si reipublicæ conducebat? potest autem quod inutile reipublicæ sit, id cuiquam civi utile esse?

CAP. XXVIII.

Pervertunt homines ea, quæ sunt fundamenta naturæ, cum utilitatem ab honestate sejungunt. Omnes enim expetimus utilitatem, ad eamque rapimur, nec facere aliter ullo modo possumus. Nam quis est, qui utilia fugiat? aut quis potius, qui ea non studiosissime persequatur? Sed quia nusquam possumus, nisi in laude, decore, honestate utilia reperire, propterea illa prima et summa habemus: utilitatis nomen non tam splendidum, quam necessarium ducimus.

Quid est igitur, dixerit quis, in jurejurando? num iratum timemus Jovem? At hoc quidem commune est omnium philosophorum, non eorum modo, qui deum nihil habere ipsum negotii dicunt, et nihil exhibere alteri; sed eorum etiam, qui deum semper agere aliquid et moliri volunt, nunquam nec irasci deum, nec nocere. Quid autem iratus Jupiter plus nocere potuisset, quam nocuit sibi ipse Regulus? Nulla igitur vis fuit religionis, quæ tantam utilitatem perverteret. An ne turpiter faceret? Primum, minima de malis. Num igitur tantum mali turpitudo ista habebat, quantum ille cruciatus? Denique illud etiam apud Attium,

Fregisti fidem. Neque dedi, neque do infideli cuiquam: quamquam ab impio rege dicitur, luculente tamen dicitur.

Addunt etiam, quemadmodum nos dicamus, videri quædam utilia, quæ non sint; sic se dicere, videri quædam honesta, quæ non sint: ut hoc ipsum videtur honestum, conservandi jurisjurandi causa ad cruciatum revertisse; sed fit non honestum, quia, quod per vim hostium esset actum, ratum esse non debuit. Addunt etiam, quidquid valde utile sit, id fieri honestum, etiam si antea non videretur. Hæc fere contra Regulum. Sed prima videamus.

CAP. XXIX.

Non fuit Jupiter metuendus, ne iratus noceret, qui neque irasci solet, neque nocere. Hæc quidem ratio non magis contra Regulum, quam contra omne jusjurandum valet. Sed in jurejurando, non qui metus, sed quæ vis sit, debet intelligi. Est enim jusjurandum affirmatio religiosa: quod autem affirmate, quasi deo teste, promiseris; id tenendum est. Jam enim non ad iram deorum, quæ nulla est; sed ad justitiam et ad fidem pertinet. Nam præclare Ennius:

O fides alma, apta pinnis, et jusjurandum Jovis!

Qui igitur jusjurandum violat, is fidem violat, quam in Capitolio vicinam Jovis Optimi Maximi (ut in Catonis oratione est) majores nostri esse voluerunt.

At enim ne iratus quidem Jupiter plus Regulo nocuisset, quam sibi nocuit ipse Regulus. Certe, si nihil malum esset, nisi dolere. Id autem non modo non summum malum, sed ne malum quidem esse, maxima auctoritate philosophi affirmant; quorum quidem testem non mediocrem, sed haud scio an gravissimum, Regulum, nolite, quæso, vituperare. Quem enim locupletiorem quærimus, quam principem populi Roma-

ni, qui retinendi officii causa cruciatum subierit voluntarium? Nam quod ajunt, minima de malis, id est, ut turpiter potius, quam calamitose: an est ullum majus malum turpitudine? quæ si in deformitate corporis habet aliquid offensionis, quanta illa depravatio et fœditas turpificati animi debet videri?

Itaque, nervosius qui ista disserunt, solum audent malum dicere id, quod turpe sit; qui autem remissius, hi tamen non dubitant summum malum dicere. Nam illud quidem,

Neque dedi, neque do fidem infideli cuiquam:
idcirco recte à poeta, quia, cum tractaretur Atreus, personæ serviendum fuit. Sed si hoc sibi sumunt, nullam esse fidem, quæ infideli data sit; videant, ne quæratur latebra perjurio.

Est autem jus etiam bellicum, fidesque jurisjurandi sæpe cum hoste servanda. Quod enim ita juratum est, ut mens conciperet fieri oportere, id servandum est: quod aliter; id si non feceris, nullum est perjurium. Ut, si prædonibus pactum pro capite pretium non attuleris, nulla fraus est, ne si juratus quidem id non feceris: nam pirata non est ex perduellium numero definitus, sed communis hostis omnium: cum hoc nec fides debet, nec jusjurandum esse commune. Non enim falsum jurare, perjurare est; sed, quod ex animi tui sententia juraris, sicut verbis concipitur more nostro, id non facere, perjurium est. Scite enim Euripides:

Juravi lingua, mentem injuratam gero.
Regulus vero non debuit conditiones pactionesque bellicas et hostiles perturbare perjurio. Cum justo enim et legitimo hoste res gerebatur; adversus quem et totum jus fetiale, et multa sunt jura communia. Quod ni ita esset, nunquam claros viros senatus vinctos hostibus dedidisset.

CAP. XXX.

At vero T. Veturius et Sp. Postumius, cum iterum

consules essent, quia, cum male pugnatum apud Caudium esset, legionibus nostris sub jugum missis, pacem cum Samnitibus fecerant, dediti sunt his: injussu enim populi senatusque fecerant. Eodemque tempore Tib. Numicius, Q. Mælius, qui tum tribuni plebis erant, quod eorum auctoritate pax erat facta, dediti sunt, ut pax Samnitium repudiaretur. Atque hujus deditionis ipse Postumius, qui dedebatur, suasor et auctor fuit: quod idem multis annis post C. Mancinus; qui, ut Numantinis, quibuscum sine senatus auctoritate fœdus fecerat, dederetur, rogationem suasit eam, quam L. Furius, et Sex. Atilius ex senatusconsulto ferebant: qua accepta, est hostibus deditus. Honestius hic, quam Q. Pompejus, quo, cum in eadem causa esset, deprecante, accepta lex non est. Hic ea, quæ videbatur utilitas, plus valuit, quam honestas: apud superiores, utilitatis species falsa, ab honestatis auctoritate superata est.

At non debuit ratum esse, quod erat actum per vim. Quasi vero forti viro vis possit adhiberi. Cur igitur ad senatum proficiscebatur, cum præsertim de captivis dissuasurus esset? Quod maximum in eo est, id reprehenditis: non enim suo judicio stetit, sed suscepit causam, ut esset judicium senatus; cui nisi ipse auctor fuisset, captivi profecto Pœnis redditi essent. Ita incolumis in patria Regulus restitisset: quod quia patriæ non utile putavit, idcirco sibi honestum et sentire illa et pati credidit. Nam, quod ajunt, quod valde utile sit, id fieri honestum; immo vero esse, non fieri. Est enim nihil utile, quod idem non honestum: nec quia utile, honestum est; sed quia honestum, utile.

CAP. XXXI.

Quare ex multis mirabilibus exemplis, haud facile quis dixerit hoc exemplo aut laudabilius, aut præstantius. Sed ex tota hac laude Reguli, unum illud est ad-

miratione dignum, quod captivos retinendos censuerit. Nam quod rediit, nobis nunc mirabile videtur; illis quidem temporibus aliter facere non potuit. Itaque ista laus non est hominis, sed temporum: nullum enim vinculum ad adstringendam fidem jurejurando majores arctius esse voluerunt. Id indicant leges in XII tabulis, indicant sacratæ, indicant fœdera, quibus etiam cum hoste devincitur fides: indicant notiones animadversionesque censorum; qui nulla de re diligentius, quam de jurejurando, judicabant.

L. Manlio, A. filio, cum dictator fuisset, M. Pomponius, tribunus plebis, diem dixit, quod is paucos sibi dies ad dictaturam gerendam addidisset: criminabatur etiam, quod Titum filium, qui postea est Torquatus appellatus, ab hominibus relegasset, et ruri habitare jussisset. Quod cum audivisset adolescens filius, negotium exhiberi patri; accurrisse Romam, et cum prima luce Pomponii domum venisse dicitur. Cui cum esset nuntiatum, quod illum iratum allaturum ad se aliquid contra patrem arbitraretur: surrexit è lectulo, remotisque arbitris, ad se adolescentem jussit venire. At ille, ut ingressus est, confestim gladium distrinxit, juravitque, se illum statim interfecturum, nisi jusjurandum sibi dedisset, se patrem missum esse facturum. Juravit, hoc coactus terrore Pomponius. Rem ad populum detulit: docuit, cur sibi causa desistere necesse esset: Manlium missum fecit. Tantum temporibus illis jusjurandum valebat. Atque hic T. Manlius is est, qui ad Anienem Galli, quem ab eo provocatus occiderat, torque detracto, cognomen invenit: cujus tertio consulatu Latini ad Veserim fusi et fugati. Magnus vir in primis, et qui perindulgens in patrem, idem acerbe severus in filium.

CAP. XXXII.

Sed, ut laudandus Regulus, in conservando jureju-

rando, sic decem illi, quos post Cannensem pugnam juratos ad senatum misit Annibal, se in castra redituros ea, quorum potiti erant Pœni, nisi de redimendis captivis impetravissent, si non redierunt, vituperandi. De quibus non omnes uno modo: nam Polybius, bonus auctor in primis, scribit, ex decem nobilissimis, qui tum erant missi, novem revertisse, à senatu re non impetrata; unum ex decem, qui, paulo post quam egressus erat è castris, redisset, quasi aliquid esset oblitus, Romæ remansisse. Reditu enim in castra, liberatum se esse jurejurando interpretabatur: non recte. Fraus enim adstringit, non dissolvit perjurium. Fuit igitur stulta calliditas, perverse imitata prudentiam. Itaque decrevit senatus, ut ille veterator et callidus, vinctus ad Annibalem duceretur. Sed illud maximum: octo hominum millia tenebat Annibal, non quos in acie cepisset, aut qui periculo mortis diffugissent, sed qui relicti in castris fuissent à Paulo et Varrone consulibus. Eos senatus non censuit redimendos, cum id parva pecunia fieri posset; ut esset insitum militibus nostris aut vincere, aut emori. Qua quidem re audita, fractum animum Annibalis scripsit idem, quod senatus populusque Romanus rebus afflictis tam excelso animo fuisset. Sic honestatis comparatione, ea, quæ videntur utilia, vincuntur. Acilius autem, qui Græce scripsit historiam, plures ait fuisse, qui in castra revertissent, eadem fraude, ut jurejurando liberarentur, eosque à censoribus omnibus ignominiis notatos.

Sit jam hujus loci finis. Perspicuum est enim, quæ timido animo, humili, demisso, fractoque fiant (quale fuisset Reguli factum, si aut de captivis, quod ipsi opus esse videretur, non quod reipublicæ, censuisset, aut domi remanere voluisset) non esse utilia, quia sint flagitiosa, fœda, turpia.

CAP. XXXIII.

Restat quarta pars, quæ decore, moderatione, modestia, continentia, temperantia continetur. Potest igitur quidquam esse utile, quod sit huic talium virtutum choro contrarium? Atqui ab Aristippo Cyrenaici, atque Annicerii philosophi nominati, omne bonum in voluptate posuerunt; virtutemque censuerunt ob eam rem esse laudandam, quod efficiens esset voluptatis. Quibus obsoletis floret Epicurus, ejusdem fere adjutor auctorque sententiæ. Cum his viris equisque, ut dicitur, si honestatem tueri ac retinere sententia est, decertandum est. Nam si non modo utilitas, sed vita omnis beata, corporis firma constitutione, ejusque constitutionis spe explorata, ut à Metrodoro scriptum est, continetur; certe hæc utilitas, et quidem summa (sic enim censet) cum honestate pugnabit. Nam ubi primum prudentiæ locus dabitur? an, ut conquirat undique suavitates? Quam miser virtutis famulatus, servientis voluptati! Quod autem munus prudentiæ? an legere intelligenter voluptates? Fac nihil isto esse jucundius: quid cogitari potest turpius? Jam, qui dolorem summum malum dicat, apud eum quem habet locum fortitudo, quæ est dolorum laborumque contemptio? Quamvis enim multis in locis dicat Epicurus (sicut hic dicit) satis fortiter de dolore; tamen non spectandum est, quid dicat, sed quid consentaneum sit ei dicere, qui bona, voluptate terminaverit; mala, dolore. Ut, si illum audiam de continentia et temperantia; dicit ille quidem multa multis locis; sed aqua hæret, ut ajunt. Nam quî potest temperantiam laudare is, qui ponat summum bonum voluptate? Est enim temperantia libidinum inimica; libidines autem, consectatrices voluptatis.

Atque in his tamen tribus generibus, quoquo modo possunt, non incallide tergiversantur. Prudentiam in-

troducunt, scientiam suppeditantem voluptates, depellentem dolores. Fortitudinem quoque aliquo modo expediunt, cum tradunt rationem negligendæ mortis, perpetiendique doloris. Etiam temperantiam inducunt, non facillime illi quidem, sed tamen quoquo modo possunt: dicunt enim, voluptatis magnitudinem doloris detractione finiri. Justitia vacillat, vel jacet potius, omnesque eæ virtutes, quæ in communitate cernuntur, et in societate generis humani. Neque enim bonitas, nec liberalitas, nec comitas esse potest, non plus quam amicitia, si hæc non per se expetantur, sed ad voluptatem utilitatemve referantur.

CAP. XXXIV.

Conferamus igitur in pauca: nam ut utilitatem nullam esse docuimus, quæ honestati esset contraria: sic omnem voluptatem dicimus honestati esse contrariam. Quo magis reprehendendos Calliphonem, et Dinomachum judico, qui se dirempturos controversiam putaverunt, si cum honestate voluptatem, tanquam cum homine pecudem, copulavissent. Non recipit istam conjunctionem honestas, aspernatur, repellit. Nec vero finis bonorum et malorum, qui simplex esse debet, ex dissimilibus rebus misceri et temperari potest. Sed de hoc (magna enim res est) alio loco pluribus: nunc ad propositum. Quemadmodum igitur, si quando ea, quæ videretur utilitas, honestati repugnat, dijudicanda res sit, satis est supra disputatum. Sin autem speciem utilitatis etiam voluptas habere dicetur, nulla potest esse ei cum honestate conjunctio. Nam, ut tribuamus aliquid voluptati, condimenti fortasse nonnihil, utilitatis certe nihil habebit.

Habes à patre munus, Marce fili, mea quidem sententia magnum; sed perinde erit, ut acceperis. Quanquam tibi hi tres libri, inter Cratippi commentarios, tanquam hospites, erunt recipiendi. Sed, ut, si ipse

venissem Athenas, (quod quidem esset factum, nisi me è medio cursu clara voce patria revocasset) aliquando me quoque audires; sic, quoniam his voluminibus ad te profecta vox est mea, tribues his temporis quantum poteris; poteris autem, quantum voles. Cum vero intellexero, te hoc scientiæ genere gaudere, tum et præsens tecum propediem (ut spero) et, dum aberis, absens loquar. Vale igitur, mi Cicero, tibique persuade, esse te quidem mihi carissimum; sed multo fore cariorem, si talibus monumentis præceptisque lætabere.



C. CRISPI SALLUSTII

BELLUM CATILINARIUM,

SIVE DE CONJURATIONE CATILINÆ

EJUSQUE SOCIORUM.

1. Omnes homines, qui sese student præstare cæteris animalibus, summa ope niti decet, vitam silentio ne transeant, veluti pecora, quæ natura prona, atque ventri obedientia finxit. Sed nostra omnis vis in animo et corpore sita est: animi imperio, corporis servitio magis utimur: alterum nobis cum dîs, alterum cum belluis commune est. Quo mihi rectius esse videtur, ingenii, quam virium opibus gloriam quærere; et, quoniam vita ipsa, qua fruimur, brevis est, memoriam nostri quam maxime longam efficere: nam divitiarum et formæ gloria fluxa atque fragilis est; virtus clara, æternaque habetur. Sed diu magnum inter mortales certamen fuit, vi ne corporis, an virtute animi, res militaris magis procederet: nam et prius quam incipias, consulto; et, ubi consulueris, mature facto opus est: ita utrumque per se indigens, alterum alterius auxilio veget.

2. Igitur initio reges (nam in terris nomen imperii id primum fuit) diversi, pars ingenium, alii corpus exercebant: etiam tum vita hominum sine cupiditate agitabatur, sua cuique satis placebant. Postea vero quam

in Asia Cyrus, in Græcia Lacedæmonii et Athenienses cœpere urbes atque nationes subigere, libidinem dominandi causam belli habere, maximam gloriam in maximo imperio putare; tum demum periculo atque negotiis compertum est, in bello plurimum ingenium posse. Quod si regum atque imperatorum animi virtus in pace ita, uti in bello, valeret; æquabilius atque constantius sese res humanæ haberent; neque aliud alio ferri, neque mutari ac misceri omnia cerneres: nam imperium facile iis artibus retinetur, quibus initio partum est. Verum ubi pro labore desidia, pro continentia et æquitate libido atque superbia invasere; fortuna simul cum moribus immutatur: ita imperium semper ad optimum quemque à minus bono transfertur. Quæ homines arant, navigant, ædificant, virtuti omnia parent. Sed multi mortales, dediti ventri atque somno, indocti incultique vitam sicuti peregrinantes transegere: quibus profecto, contra naturam, corpus voluptati, anima oneri fuit: eorum ego vitam mortemque juxta æstimo, quoniam de utraque siletur. Verum enimvero is demum mihi vivere atque frui anima videtur, qui aliquo negotio intentus, præclari facinoris aut artis bonæ famam quærit.

3. Sed in magna copia rerum, aliud alii natura iter ostendit: pulchrum est bene facere reipublicæ: etiam bene dicere haud absurdum est: vel pace vel bello clarum fieri licet: et qui fecere, et qui facta aliorum scripsere, multi laudantur. Ac mihi quidem, tametsi haud quaquam par gloria sequatur scriptorem et auctorem rerum, tamen in primis arduum videtur, res gestas scribere: primum quod facta dictis sunt exæquanda: dehinc quia plerique, quæ delicta reprehenderis, malivolentia et invidia dicta putant: ubi de magna virtute et gloria bonorum memores, quæ sibi quisque facilia factu putat, æquo animo accipit; supra ea, veluti ficta, pro falsis ducit. Sed ego adolescentulus initio, sicuti plerique, studio ad rempublicam latus sum,

ibique mihi adversa multa fuere: nam pro pudore, pro abstinentia, pro virtute, audacia, largitio, avaritia vigebant. Quæ tametsi animus aspernabatur, insolens malarum artium; tamen inter tanta vitia imbecilla ætas ambitione corrupta tenebatur: ac me, cum ab reliquis malis moribus dissentirem, nihilominus honoris cupido eadem, quæ cæteros, fama atque invidia vexabat.

4. Igitur, ubi animus ex multis miseriis atque periculis requievit, et mihi reliquam ætatem à republica procul habendam decrevi; non fuit consilium, socordia atque desidia bonum otium conterere: neque vero agrum colendo, aut venando, servilibus officiis intentum, ætatem agere; sed à quo incepto studio me ambitio mala detinuerat, eodem regressus, statui res gestas populi Romani carptim, ut quæque memoria digna videbantur, perscribere: eo magis, quod mihi à spe, metu, partibus reipublicæ animus liber erat. Igitur de Catilinæ conjuratione, quam verissime potero, paucis absolvam: nam id facinus in primis ego memorabile existimo sceleris atque periculi novitate. De cujus hominis moribus pauca prius explananda sunt, quam initium narrandi faciam.

5. L. Catilina, nobili genere natus, fuit magna vi et animi et corporis, sed ingenio malo pravoque. Huic ab adolescentia bella intestina, cædes, rapinæ, discordia civilis grata fuere: ibique juventutem suam exercuit. Corpus patiens ediæ, vigiliæ, algoris, supra quam cuiquam credibile est: animus audax, subdolus, varius, cujuslibet rei simulator ac dissimulator, alieni appetens, sui profusus, ardens in cupiditatibus: satis eloquentiæ, sapientiæ parum: vastus animus immoderata, incredibilia, nimis alta semper cupiebat. Hunc post dominationem L. Syllæ libido maxima invaserat reipublicæ capiendæ: neque id quibus modis assequeretur, dum sibi regnum pararet, quidquam pensi habebat: agitabatur magis magisque in dies animus, ferox inopia rei familiaris et conscientia scelerum: quæ utraque his

artibus auxerat, quas supra memoravi. Incitabant præterea corrupti civitatis mores, quos pessima ac diversa inter se mala, luxuria atque avaritia, vexabant. Res ipsa hortari videtur, quoniam de moribus civitatis tempus admonuit, supra repetere; ac paucis, instituta majorum domi militiæque, quomodo rempublicam habuerint, quantamque reliquerint, utque paulatim immutata, ex pulcherrima pessima ac flagitiosissima facta sit, disserere.

6. Urbem Romam, sicuti ego accepi, condidere atque habuere initio Trojani, qui, Æenea duce, profugi, sedibus incertis vagabantur: cumque his Aborigines, genus hominum agreste, sine legibus, sine imperio, liberum atque solutum. Hi postquam in una mœnia convenere, dispari genere, dissimili lingua, alius alio more viventes, incredibile memoratu est, quam facile coaluerint. Sed postquam res eorum civibus, moribus, agris aucta, satis prospera satisque pollens videbatur, sicuti pleraque mortalium habentur, invidia ex opulentia orta est. Igitur reges populique finitimi bello tentare: pauci ex amicis auxilio esse: nam cæteri metu percussi à periculis aberant. At Romani, domi militiæque intenti, festinare, parare, alius alium hortari, hostibus obviam ire, libertatem, patriam parentesque armis protegere: post, ubi pericula virtute propulerant, sociis atque amicis auxilia portabant: magisque dandis, quam accipiendis beneficiis amicitias parabant. Imperium legitimum, nomen imperii regium habebant: delecti, quibus corpus annis infirmum, ingenium sapientia validum erat, reipublicæ consultabant: hi vel ætate, vel curæ similitudine Patres appellabantur. Post, ubi regium imperium, quod initio conservandæ libertatis atque augendæ reipublicæ fuerat, in superbiam dominationemque convertit; immutato more, annua imperia binosque imperatores sibi fecere: eo modo minime posse putabant per licentiam insolescere animum humanum.

7. Sed ea tempestate cœpere se quisque extollere, magisque ingenium in promptu habere: nam regibus boni quam mali suspectiores sunt, semperque his aliena virtus formidolosa est. Sed civitas, incredibile memoratu est, adepta libertate, quantum brevi creverit: tanta cupido gloriæ incesserat. Jam primum juventus, simul laboris ac belli patiens erat, in castris usu militiam discebat: magisque in decoris armis et militaribus equis, quam in scortis atque conviviis libidinem habebant. Igitur talibus viris non labor insolitus, non locus ullus asper aut arduus erat, non armatus hostis formidolosus: virtus omnia domuerat. Sed gloriæ maximum certamen inter ipsos erat: sic quisque hostem ferire, murum ascendere, conspici, dum tale facinus faceret, properabat: eas divitias, eam bonam famam magnamque nobilitatem putabant: laudis avidi, pecuniæ liberales erant: gloriam ingentem, divitias honestas volebant. Memorare possem, quibus in locis maximas hostium copias populus Romanus parva manu fuderit, quas urbes, natura munitas, pugnando ceperit; ni ea res longius nos ab incepto traheret.

8. Sed profecto fortuna in omni re dominatur: ea res cunctas ex libidine magis, quam ex vero celebrat obscuratque. Atheniensium res gestæ, sicuti ego æstimo, satis amplæ magnificæque fuere; verum aliquanto minores tamen, quam fama feruntur. Sed quia provenere ibi scriptorum magna ingenia, per terrarum orbem Atheniensium facta pro maximis celebrantur: ita eorum, qui fecere, virtus tanta habetur, quantum verbis ea potuere extollere præclara ingenia. At populo Romano nunquam ea copia fuit: quia prudentissimus quisque negotiosus maxime erat: ingenium nemo sine corpore exercebat: optimus quisque facere, quam dicere; sua ab aliis bene facta laudari, quam ipse aliorum narrare, malebat.

9. Igitur domi militiæque boni mores colebantur: concordia maxima, minima avaritia erat: jus bonum-

que apud eos non legibus magis, quam natura valebat: jurgia, discordias, simultates cum hostibus exercebant: cives cum civibus de virtute certabant: in suppliciis deorum magnifici, domi parci, in amicis fideles erant. Duabus his artibus, audacia in bello, ubi pax evenerat, æquitate, seque remque publicam curabant. Quarum rerum ego maxima documenta hæc habeo, quod in bello sæpius vindicatum est in eos, qui contra imperium in hostem pugnaverant, quique tardius, revocati, prælio excesserant, quam qui signa relinquere, aut pulsi, loco cedere ausi erant; in pace vero quod beneficiis magis, quam metu imperium agitabant, et accepta injuria, ignoscere, quam persequi malebant.

10. Sed ubi labore atque justitia respublica crevit, reges magni bello domiti, nationes feræ et populi ingentes vi subacti, Carthago, æmula imperii Romani, ab stirpe interiit, cuncta maria terræque patebant; sævire fortuna ac miscere omnia cœpit. Qui labores, pericula, dubias atque asperas res facile toleraverant, iis otium, divitiæ, optandæ aliis, oneri miseriæque fuere. Igitur primo pecuniæ, dein imperii cupido crevit: ea quasi materies omnium malorum fuere: namque avaritia fidem, probitatem, cæterasque artes bonas subvertit; pro his superbiam, crudelitatem, deos negligere, omnia venalia habere edocuit: ambitio multos mortales falsos fieri subegit; aliud clausum in pectore, aliud in lingua promptum habere; amicitias inimicitiasque non ex re, sed ex commodo æstimare; magisque vultum, quam ingenium bonum habere: hæc primo paulatim crescere, interdum vindicari, post ubi contagio, quasi pestilentia, invasit; civitas immutata, imperium ex justissimo atque optimo crudele intolerandumque factum.

11. Sed primo magis ambitio, quam avaritia, animos hominum exercebat: quod tamen vitium propius virtutem erat. Nam gloriam, honorem, imperium, bonus et ignavus æque sibi exoptant: sed ille vera via nititur;

huic quia bonæ artes desunt, dolis atque fallaciis contendit. Avaritia pecuniæ studium habet, quam nemo sapiens concupivit: ea, quasi venenis malis imbuta, corpus animumque virilem effeminat: semper infinita, insatiabilis, neque copia neque inopia minuitur. Sed postquam L. Sylla, armis recepta republica, ex bonis initiis malos eventus habuit; rapere omnes, trahere domum alius, alius agros cupere: neque modum, neque modestiam victores habere, fœda, crudeliaque in civis facinora facere. Huc accedebat, quod L. Sylla exercitum, quem in Asia ductaverat, quo sibi fidum faceret, contra morem majorum luxuriose nimisque liberaliter habuerat. Loca amœna, voluptaria, facile in otio feroces militum animos molliverant: ibi primum insuevit exercitus populi Romani amare, potare, signa, tabulas pictas, vasa cælata mirari, ea privatim ac publice rapere, delubra spoliare, sacra profanaque omnia polluere. Igitur hi milites, postquam victoriam adepti sunt, nihil reliqui victis fecere: quippe secundæ res sapientium animos fatigant: ne illi, corruptis moribus, victoriæ temperarent.

12. Postquam divitiæ honori esse cœpere, et eas gloria, imperium, potentia sequebatur: hebescere virtus, paupertas probro haberi, innocentia pro malevolentia duci cœpit. Igitur ex divitiis juventutem luxuria atque avaritia cum superbia invasere: rapere, consumere, sua parvi pendere, aliena cupere; pudorem, pudicitiam, divina atque humana promiscua, nihil pensi atque moderati habere. Operæ pretium est, cum domos atque villas cognoveris in urbium modum exædificatas, visere templa deorum, quæ nostri majores, religiosissimi mortales, fecere. Verum illi delubra deorum pietate, domos suas gloria decorabant; neque victis quidquam præter injuriæ licentiam eripiebant. At hi contra ignavissimi homines per summum scelus, omnia ea sociis adimere, quæ fortissimi viri victores hostibus reliquerant: proinde quasi injuriam facere, id demum esset imperio uti.

13. Nam quid ea memorem, quæ nisi iis, qui videre, nemini credibilia sunt: à privatis compluribus subversos montes, maria constructa esse: quibus mihi videntur ludibrio fuisse divitiæ: quippe, quas honeste habere licebat, abuti per turpitudinem properabant. Sed libido stupri, ganeæ, cæterique cultus non minor incesserat: viri pati muliebria; mulieres pudicitiam in propatulo habere: vescendi causa terra marique omnia exquirere: dormire prius, quam somni cupido esset: non famem aut sitim, neque frigus, neque lassitudinem operiri, sed ea omnia luxu ante capere. Hæc juventutem, ubi familiares opes defecerant, ad facinora incendebant: animus imbutus malis artibus haud facile libidinibus carebat: eo profusius omnibus modis quæstui atque sumptui deditus erat.

14. In tanta tamque corrupta civitate Catilina, id quod factu facillimum erat, omnium flagitiorum atque facinorum circum se, tamquam stipatorum, catervas habebat. Nam quicumque impudicus, adulter, ganeo, manu, ventre, pene, bona patria laceraverat, quique alienum æs grande conflaverat, quo flagitium aut facinus redimeret; præterea, omnes undique parricidæ, sacrilegi, convicti judiciis, aut pro factis judicium timentes; ad hoc, quos manus atque lingua perjurio aut sanguine civili alebat; postremo omnes, quos flagitium, egestas, conscius animus exagitabat, ii Catilinæ proximi familiaresque erant. Quod si quis etiam à culpa vacuus in amicitiam ejus inciderat; quotidiano usu atque illecebris facile par similisque cæteris efficiebatur. Sed maxime adolescentium familiaritates appetebat: eorum animi molles et ætate fluxi, dolis haud difficulter capiebantur: nam uti cujusque studium ex ætate flagrabat, aliis scorta præbere; aliis canes atque equos mercari; postremo neque sumptui, neque modestiæ suæ parcere, dum illos obnoxios fidosque faceret. Scio, fuisse nonnullos, qui ita æstimarent, juventutem, quæ domum Catilinæ frequentabat, parum ho-

neste pudicitiam habuisse; sed ex aliis rebus magis, quam quod cuiquam id compertum foret, hæc fama valebat.

15. Jam primum adolescens Catilina multa nefanda stupra fecerat, cum virgine nobili, cum sacerdote Vestæ, alia hujuscemodi contra jus fasque. Postremo captus amore Aureliæ Orestillæ, cujus præter formam, nihil unquam bonus laudavit; quod ea nubere illi dubitabat, timens privignum adulta ætate, pro certo creditur, necato filio, vacuam domum scelestis nuptiis fecisse. Quæ quidem res mihi in primis videtur causa fuisse facinoris maturandi: namque animus impurus, diis hominibusque infestus, neque vigiliis, neque quietibus sedari poterat: ita conscientia mentem excitam vastabat. Igitur color exsanguis, fœdi oculi, citus modo, modo tardus incessus; prorsus in facie, vultuque vecordia inerat.

16. Sed juventutem, quam, ut supra diximus, illexerat, multis modis mala facinora edocebat. Ex illis testes signatoresque falsos commodare; fidem, fortunas, pericula vilia habere: post, ubi eorum famam atque pudorem attriverat; majora alia imperabat, si causa peccandi in præsens minus suppetebat, nihilominus insontes, sicuti sontes, circumvenire, jugulare: scilicet, ne per otium torpescerent manus aut animus, gratuito potius malus atque crudelis erat. His amicis sociisque confisus Catilina, simul quod æs alienum per omnes terras ingens erat, et quod plerique Syllani milites, largius suo usi, rapinarum et victoriæ veteris memores, civile bellum exoptabant; opprimendæ reipublicæ consilium cepit. In Italia nullus exercitus: Cn. Pompejus in extremis terris bellum gerebat: ipsi consulatum petendi magna spes: senatus nihil sane intentus: tutæ tranquillæque res omnes. Sed ea prorsus opportuna Catilinæ erant.

17 Igitur circiter Kalendas Junias L. Cæsare et L. Figulo consulibus primo singulos appellare: hor-

tari alios, alios tentare: opes suas, imperatam rempublicam, magna præmia conjurationis docere. Ubi satis explorata sunt, quæ voluit; in unum omnes convocat, quibus maxima necessitudo et plurimum audaciæ inerat. Eo convenere senatorii ordinis P. Lentulus Sura, P. Autronius, L. Cassius Longinus, C. Cethegus, P. et Servius Syllæ, Servii filii, L Vargunteius, Q. Annius, M. Portius Læca, L. Bestia, Q. Curius: præterea ex equestri ordine M. Fulvius Nobilior, L. Statilius, P. Gabinius Capito, C. Cornelius: ad hoc multi ex coloniis et municipiis, domi nobiles. Erant præterea complures paulo occultius consilii hujusce participes nobiles, quos magis dominationis spes hortabatur, quam inopia, aut alia necessitudo. Cæterum juventus pleraque, sed maxime nobilium Catilinæ inceptis favebat: quibus in otio vel magnifice, vel molliter vivere, copia erat, incerta pro certis, bellum, quam pacem, malebant. Fuere item ea tempestate, qui crederent, M. Licinium Crassum non ignarum ejus consilii fuisse: quia Cn. Pompejus invisus ipsi magnum exercitum ductabat, cujusvis opes voluisse contra illius potentiam crescere; simul confisum, si conjuratio valuisset, facile apud illos principem se fore. Sed antea item conjuravere pauci contra rempublicam, in quibus Catilina: de quo, quam verissime potero, dicam.

18. L. Tullo, M. Lepido consulibus, P. Autronius et P. Sylla designati consules legibus ambitus interrogati pœnas dederant. Post paulo Catilina, pecuniarum repetundarum reus, prohibitus erat consulatum petere; quod intra legitimos dies profiteri nequiverit. Erat eodem tempore Cn. Piso, adolescens nobilis, summæ audaciæ, egens, factiosus, quem ad perturbandam rempublicam inopia atque mali mores stimulabant. Cum hoc Catilina et Autronius, circiter Nonas Decembres consilio communicato, parabant in Capitolio Kalendis Januariis L. Cottam et L. Torquatum consules interficere; ipsi, fascibus correptis, Pisonem cum exercitu

ad obtinendas duas Hispanias mittere. Ea re cognita, rursus in nonas Februarias consilium cædis transtulerunt. Jam tum non consulibus modo, sed plerisque senatoribus perniciem machinabantur: quod ni Catilina maturasset, pro curia signum sociis dare; eo die, post conditam urbem Romam, pessimum facinus patratum foret. Quia nondum frequentes armati convenerant; ea res consilium diremit.

19. Postea Piso in citeriorem Hispaniam quæstor pro prætore missus est, adnitente Crasso; quod eum infestum Cn. Pompejo cognoverat. Neque tamen senatus provinciam invitus dederat; quippe fœdum hominem à republica procul esse volebat: simul, quia boni quam plures præsidium in eo putabant: et jam tum potentia Cn. Pompeji formidolosa erat. Sed is Piso, in provincia ab equitibus Hispanis, quos in exercitu ductabat, iter faciens occisus est. Sunt, qui ita dicant, imperia ejus injusta, superba, crudelia barbaros nequivisse pati: alii autem, equites illos, Cn. Pompeji veteres fidosque clientes, voluntate ejus Pisonem adgressos: nunquam Hispanos præterea tale facinus fecisse, sed imperia sæva multa antea perpessos. Nos eam rem in medio relinquemus. De superiori conjuratione satis dictum.

20. Catilina, ubi eos, quos paulo ante memoravi, convenisse videt, tametsi cum singulis multa sæpe egerat; tamen in rem fore credens, universos appellare et cohortari, in abditam partem ædium secedit: atque ibi, omnibus arbitris procul amotis, orationem hujuscemodi habuit.

Ni virtus fidesque vestra satis spectata mihi forent, nequidquam opportuna res cecidisset; spes magna, dominatio in manibus frustra fuissent: neque ego per ignaviam, aut vana ingenia, incerta pro certis captarem. Sed quia multis et magnis tempestatibus vos cognovi fortes fidosque mihi; eo animus ausus, maximum atque pulcherrimum facinus incipere: simul quia

vobis eadem, quæ mihi, bona malaque intellexi: nam idem velle atque idem nolle, ea demum firma amicitia est. Sed ego, quæ mente agitavi, omnes jam antea diversi audistis. Cæterum mihi in dies magis animus accenditur, cum considero, quæ conditio vitæ futura sit, nisi nosmetipsi vindicamus in libertatem. Nam postquam respublica in paucorum jus atque ditionem concessit; semper illis reges, tetrarchæ vectigales esse: populi, nationes stipendia pendere: cæteri omnes, strenui, boni, nobiles atque ignobiles, vulgus fuimus, sine gratia, sine auctoritate; his obnoxii, quibus, si respublica valeret, formidini essemus. Itaque omnis gratia, potentia, honos, divitiæ apud illos sunt, aut ubi illi volunt: repulsas nobis reliquere, pericula, judicia, egestatem. Quæ quousque tandem patiemini, fortissimi viri? nonne emori per virtutem præstat, quam vitam miseram atque inhonestam, ubi alienæ superbiæ ludibrio fueris, per dedecus amittere? Verum enimvero, pro deûm atque hominum fidem! victoria in manu nobis est: viget ætas, animus valet: contra illis, annis atque divitiis, omnia consenuerunt: tantummodo incepto opus est: cætera res expediet. Etenim quis mortalium, cui virile ingenium, tolerare potest, illis divitias superare, quas profundant in extruendo mari et montibus coæquandis; nobis rem familiarem etiam ad necessaria deesse? illos binas, aut amplius domos continuare; nobis larem familiarem nusquam ullum esse? cum tabulas, signa, toreumata emunt; nova diruunt, alia ædificant; postremo omnibus modis pecuniam trahunt, vexant: tamen summa libidine divitias vincere nequeunt: at nobis domi inopia, foris æs alienum; mala res, spes multo asperior: denique, quid reliqui habemus, præter miseram animam! Quin igitur expergiscimini? En illa, illa, quam sæpe optastis, libertas: præterea divitiæ, decus, gloria in oculis sita sunt: fortuna omnia victoribus præmia posuit. Res, tempus, pericula, egestas,

belli spolia magnifica magis, quam oratio mea, vos hortentur. Vel imperatore, vel milite me utimini: neque animus, neque corpus à vobis aberit: hæc ipsa, ut spero, vobiscum consul agam: nisi forte me magis animus fallit, et vos servire magis, quam imperare, parati estis.

21. Postquam accepere ea homines, quibus mala omnia abunde erant, sed neque res, neque spes bona ulla; tametsi illis, quieta movere, magna merces videbatur: tamen postulare plerique, uti proponeret, quæ conditio belli foret, quæ præmia armis peterent, quid ubique opis, aut spei haberent. Tum Catilina polliceri tabulas novas, proscriptionem locupletum, magistratus, sacerdotia, rapinas, alia omnia, quæ bellum, atque libido victorum fert: præterea, esse in Hispania citeriore Pisonem, in Mauritania cum exercitu P. Sittium Nucerinum, consilii sui participes: petere consulatum C. Antonium, quem sibi collegam fore speraret, hominem et familiarem, et omnibus necessitudinibus circumventum: cum eo se consulem initium agendi facturum: ad hoc maledictis increpat omnes bonos: suorum unumquemque nominans laudare: admonebat alium egestatis, alium cupiditatis suæ, complures periculi aut ignominiæ, multos victoriæ Syllanæ, quibus ea prædæ fuerat. Postquam omnium animos alacres videt; cohortatus, ut petitionem suam curæ haberent, conventum dimisit.

22. Fuere ea tempestate, qui dicerent, Catilinam, oratione habita, cum ad jusjurandum populares sceleris sui adigeret, humani corporis sanguinem vino permixtum in pateris circumtulisse; inde, cum post execrationem omnes degustavissent, sicuti in solemnibus sacris fieri consuevit, aperuisse consilium suum: atque eo dictitare fecisse, quo inter se fidi magis forent, alius alii tanti facinoris conscii: nonnulli ficta et hæc, et multa præterea existimabant ab iis, qui Ciceronis invidiam, quæ postea orta est, leniri credebant

atrocitate sceleris eorum, qui pœnas dederant: nobis ea res pro magnitudine parum comperta est.

23. Sed in ea conventione fuit Q. Curius, natus haud obscuro loco, flagitiis atque facinoribus coopertus: quem censores senatu probri gratia moverant. Huic homini non minor vanitas quam audacia inerat: neque reticere, quæ audierat, neque suamet ipse scelera occultare; prorsus neque dicere, neque facere quidquam pensi habebat. Erat ei cum Fulvia, muliere nobili, stupri vetus consuetudo; cui cum minus gratus esset, quia inopia minus largiri poterat, repente glorians, maria montesque polliceri cœpit: minari interdum ferro, nisi obnoxia foret: postremo, ferocius agitare, quam solitus erat. At Fulvia, insolentiæ Curii causa cognita, tale periculum reipublicæ haud occultum habuit; sed, sublato auctore, de Catilinæ conjuratione quæ, quoque modo audierat, compluribus narravit. Ea res in primis studia hominum accendit, ad consulatum mandandum M. Tullio Ciceroni. Namque antea pleraque nobilitas invidia æstuabat, et quasi pollui consulatum credebant, si eum, quamvis egregius, homo novus adeptus foret: sed ubi periculum advenit, invidia atque superbia post fuere.

24. Igitur, comitiis habitis, consules declarantur M. Tullius, et C. Antonius: quod factum primo populares conjurationis concusserat: neque tamen Catilinæ furor minuebatur, sed in dies plura agitare: arma per Italiam locis opportunis parare: pecuniam sua aut amicorum fide sumptam mutuam, Fæsulas ad Manlium quendam portare, qui postea princeps fuit belli faciendi. Ea tempestate plurimos cujusque generis homines adscivisse dicitur; mulieres etiam aliquot, quæ primo ingentes sumptus stupro corporis toleraverant, post, ubi ætas tantummodo quæstui, neque luxuriæ modum fecerat, æs alienum grande conflaverant: per eas se Catilina credebat posse servitia urbana sollicitare, urbem incendere, viros earum vel adjungere sibi, vel interficere.

25. Sed in his erat Sempronia, quæ multa sæpe virilis audaciæ facinora commiserat: hæc mulier genere atque forma, præterea viro atque liberis satis fortunata: litteris Græcis, atque Latinis docta; psallere, saltare elegantius, quam necesse est probæ; multa alia, quæ instrumenta luxuriæ sunt: sed ei cariora semper omnia, quam decus atque pudicitia fuit: pecuniæ an famæ minus parceret, haud facile discerneres: libidine sic accensa, ut sæpius peteret viros, quam peteretur: sed ea sæpe antehac fidem prodiderat, creditum abjuraverat, cædis conscia fuerat, luxuria atque inopia præceps abierat. Verum ingenium ejus haud absurdum: posse versus facere, jocum movere, sermone uti vel modesto, vel molli, vel procaci: prorsus multæ facetiæ, multusque lepos inerat.

26. His rebus comparatis, Catilina nihilominus in proximum annum consulatum petebat; sperans, si designatus foret, facile se ex voluntate Antonio usurum: neque interea quietus erat, sed omnibus modis insidias parabat Ciceroni. Neque illi tamen ad cavendum dolus, aut astutiæ deerant: namque à principio consulatus sui, multa pollicendo, per Fulviam effecerat, ut Q. Curius, de quo paulo ante memoravi, consilia Catilinæ sibi proderet: ad hoc collegam suum Antonium pactione provinciæ perpulerat, ne contra rempublicam sentiret: circum se præsidia amicorum atque clientium occulte habebat. Postquam dies comitiorum venit, et Catilinæ neque petitio, neque insidiæ, quas consuli in campo fecerat, prospere cessere; constituit bellum facere et extrema omnia experiri: quoniam quæ occulte tentaverat, aspera fœdaque evenerant.

27. Igitur C. Manlium Fæsulas atque in eam partem Etruriæ Septimium quendam Camertem in agrum Picenum, C. Julium in Apuliam dimisit; præterea alium alio, quem ubique opportunum credebat. Interea Romæ multa simul moliri; consuli insidias

tendere, parare incendia, opportuna loca armatis hominibus obsidere; ipse cum telo esse; item alios jubere, hortari, uti semper intenti paratique essent; dies noctesque festinare, vigilare, neque insomniis, neque labore fatigari. Postremo ubi multa agitanti nihil procedit, rursus intempesta nocte conjurationis principes convocat per M. Porcium Læcam, ibique multa de ignavia eorum questus, docet, *se Manlium præmisisse ad eam multitudinem, quam ad capienda arma paraverat; item alios in alia loca opportuna, qui initium belli facerent, seque ad exercitum proficisci cupere, si prius Ciceronem oppressisset: eum suis consiliis multum officere.*

28. Igitur perterritis ac dubitantibus cæteris, C. Cornelius, eques Romanus, operam suam pollicitus, et cum eo L. Varguntejus senator, constituere ea nocte, paulo post cum armatis hominibus, sicuti salutatum, introire ad Ciceronem, ac de improviso domi suæ imparatum confodere. Curius ubi intelligit, quantum periculi consuli impendeat, propere per Fulviam Ciceroni dolum, qui parabatur, enuntiat: ita illi janua prohibiti, tantum facinus frustra susceperant. Interea Manlius in Etruria plebem sollicitare, egestate simul ac dolore injuriæ, novarum rerum cupidam, quod, Syllæ dominatione, agros bonaque omnia amiserat; præterea latrones cujusque generis, quorum in ea regione magna copia erat; nonnullos ex Syllanis colonis, quibus libido atque luxuria ex magnis rapinis nihil reliqui fecerant.

29. Ea cum Ciceroni nuntiarentur; anticipiti malo permotus, quod neque urbem ab insidiis privato consilio longius tueri poterat, neque exercitus Manlii quantus, aut quo consilio foret, satis compertum habebat; rem ad senatum refert, jam antea vulgi rumoribus exagitatam. Itaque, quod plerumque in atroci negotio solet, senatus decrevit, *darent operam consules, ne quid respublica detrimenti caperet.* Ea potes-

tas per senatum, more Romano, magistratui maxima permittitur: exercitum parare, bellum gerere, coercere omnibus modis socios atque cives, domi militiæque imperium atque judicium summum habere; aliter sine populi jussu, nulli earum rerum consuli jus est.

30. Post paucos dies L. Sænius senator in senatu litteras recitavit, quas Fæsulis allatas sibi dicebat: in quibus scriptum erat, *C. Manlium arma cepisse, cum magna multitudine, ante diem VI Kalendas Novembris.* Simul, id quod in tali re solet, alii *portenta* atque *prodigia* nunciabant, alii *conventus fieri, arma portari, Capuæ atque in Apulia servile bellum moveri.* Igitur senatus decreto Q. Martius Rex Fæsulas, Q. Metellus Creticus in Apuliam circumque loca missi (ii utrique ad urbem Imperatores erant; impediti, ne triumpharent, calumnia paucorum, quibus omnia honesta atque inhonesta vendere mos erat) sed prætores Q. Pompejus Rufus Capuam, Q Metellus Celer in agrum Picenum: iisque permissum, *uti pro tempore atque periculo exercitum compararent*: ad hoc decrevere, *si quis indicavisset de conjuratione, quæ contra rempublicam facta erat, præmium servo libertatem et sestertia centum, libero impunitatem ejus rei et sestertia ducenta:* itemque *uti gladiatoriæ familiæ Capuam et in cætera municipia distribuerentur, pro cujusque opibus; Romæ per totum urbem vigiliæ haberentur, hisque minores magistratus præessent.*

31. Quibus rebus permota civitas, atque immutata urbis facies: et summa lætitia atque lascivia, quæ diuturna quies pepererat, repente omnes tristitia invasit: festinare, trepidare, neque loco, nec homini cuiquam satis credere; neque bellum gerere, neque pacem habere; suo quisque metu pericula metiri: ad hoc mulieres, quibus, reipublicæ magnitudine, belli timor insolitus, afflictare sese, manus supplices ad cœlum tendere; miserari parvos liberos; rogitare, omnia pavere; superbia atque deliciis omissis, sibi patriæque

diffidere. At Catilinæ crudelis animus eadem illa movebat: tametsi præsidia parabantur, et ipse lege Plautia interrogatus erat ab L. Paulo. Postremo dissimulandi causa, et quasi sui expurgandi, sicuti jurgio lacessitus foret, in senatum venit. Tum M. Tullius consul, sive præsentiam ejus timens, seu ira commotus, orationem habuit luculentam atque utilem reipublicæ, quam postea scriptam edidit. Sed ubi ille assedit, Catilina, ut erat paratus ad dissimulanda omnia, demisso vultu, voce supplici postulare, *Patres Conscripti ne quid de se temere crederent: ea familia ortum, ita ab adolescentia vitam instituisse, ut omnia bona in spe haberet: ne æstimarent, sibi, patricio homini, cujus ipsius atque majorum plurima beneficia in plebem Romanam essent, perdita republica opus esse, cum eam servaret M. Tullius, inquilinus civis urbis Romæ.* Ad hoc maledicta alia cum adderet; obstrepere omnes, hostem atque parricidam vocare. Tum ille furibundus, *quoniam quidem circumventus*, inquit, *ab inimicis præceps agor, incendium meum ruina restinguam.*

32. Dein se ex curia domum proripuit: ibi multa secum ipse volvens, quod neque insidiæ consuli procedebant, et ab incendio intelligebat urbem vigiliis munitam, optimum factum credens, exercitum augere, ac prius, quam legiones scriberentur, antecapere, quæ bello usui forent; nocte intempesta cum paucis in Manliana castra profectus est. Sed Cethego atque Lentulo, cæterisque, quorum cognoverat promptam audaciam, mandat, *quibus rebus possent, opes factionis confirment, insidias consuli maturent, cædem, incendia, aliaque belli facinora parent: sese propediem cum magno exercitu ad urbem accessurum.* Dum hæc Romæ geruntur, C. Manlius ex suo numero ad Marcium regem mittit, cum mandatis hujuscemodi:

33. *Deos hominesque testamur, Imperator, non arma neque contra patriam cepisse, neque quo periculum aliis faceremus, sed uti corpora nostra ab injuria*

tuta forent; qui miseri, egentes violentia atque crudelitate fœneratorum plerique patriæ, sed omnes fama atque fortunis expertes sumus. Neque cuiquam nostrum licuit, more majorum, lege uti; neque amisso patrimonio, liberum corpus habere: tanta sævitia fœneratorum atque prætoris fuit. Sæpe majores vestrum, misertiti plebis Romanæ, decretis suis inopiæ opitulati sunt: ac novissime memoria nostra propter magnitudinem æris alieni, volentibus omnibus bonis, argentum ære solutum est. Sæpe ipsa plebs, aut dominandi studio permota, aut superbia magistratuum, armata à patribus secessit. At nos non imperium, neque divitias petimus, quarum rerum causa bella atque certamina omnia inter mortales sunt; sed libertatem, quam nemo bonus, nisi cum anima simul, amittit. Te atque senatum obtestamur, consulatis miseris civibus; legis præsidium, quod iniquitas prætoris eripuit, restituatis; neve eam necessitudinem imponatis, ut quæramus, quonam modo, ulti maxime sanguinem nostrum, pereamus.

34. Ad hæc Q. Marcius: *Si quid ab senatu petere vellent, ab armis discedant, Romam supplices proficiscantur: ea mansuetudine atque misericordia senatum populumque Romanum semper fuisse, ut nemo unquam ab eo frustra auxilium petiverit.* At Catilina ex itinere plerisque consularibus, præterea optimo cuique, litteras mitti: *se falsis criminibus circumventum, quoniam factioni inimicorum resistere nequiverit, fortunæ cedere, Massiliam in exilium proficisci: non quo sibi tanti sceleris conscius esset; sed uti respublica quieta foret, neve ex sua contentione seditio oriretur.* Ab his longe diversas litteras Q. Catulus in senatu recitavit, quas sibi nomine Catilinæ redditas dicebat: earum exemplum infra scriptum:

35. *L. Catilina Q. Catulo S. Egregia tua fides re cognita gratum in magnis periculis fiduciam commendationi meæ tribuit. Quamobrem defensionem in novo*

consilio non statui parare; satisfactionem ex nulla conscientia de culpa proponere decrevi, quam me Diusfidius veram licet cognoscas. Injuriis contumeliisque concitatus, quod fructu laboris industriæque meæ privatus, statum dignitatis non obtinebam, publicam miserorum causam, pro mea consuetudine, suscepi: non quin æs alienum meis nominibus ex possessionibus solvere possem; cum alienis nominibus liberalitas Orestillæ suis filiæque copiis persolveret: sed, quod non dignos homines honore honestatos videbam, meque falsa suspicione alienatum sentiebam. Hoc nomine satis honestas pro meo casu spes reliquæ dignitatis conservandæ sum secutus. Plura cum scribere vellem, nuntiatum est, vim mihi parari. Nunc Orestillam commendo tuæque fidei trado: eam ab injuria defendas, per liberos tuos rogatus. Aveto.

36. Sed ipse paucos dies commoratus apud C. Flaminium Flammam in agro Arretino, vicinitatem, antea sollicitatam, armis exornat, cum fascibus atque aliis imperii insignibus in castra ad Manlium contendit. Hæc ubi Romæ comperta, senatus Catilinam et Manlium hostes judicat; cæteræ multitudini diem statuit, antequam sine fraude liceret ab armis discedere, præter rerum capitalium condemnatis: præterea decernit, uti consules delectum habeant; Antonius cum exercitu Catilinam persequi maturet; Cicero urbi præsidio sit. Ea tempestate mihi imperium populi Romani multo maxime miserabile visum est, cui cum ad occasum ab ortu solis omnia, domita armis, parerent; domi otium atque divitiæ, quæ prima mortales putant, affluerent: fuere tamen cives, qui seque remque publicam obstinatis animis perditum irent: namque duobus senati decretis, ex tanta multitudine neque præmio inductus conjurationem patefecerat, neque ex castris Catilinæ quisquam omnium discesserat: tanta vis morbi, uti tabes plerosque civium animos invaserat.

37. Neque solum illis aliena mens erat, qui cons-

cii conjurationis fuerant: sed omnino cuncta plebes novarum rerum studio Catilinæ incepta probabat. Id adeo more suo videbatur facere: nam semper in civitate, quîs opes nullæ sunt, bonis invident, malos extollunt; vetera odere, nova exoptant; odio suarum rerum mutari omnia student; turba atque seditionibus sine cura aluntur, quoniam egestas facile habetur sine damno. Sed urbana plebes, ea vero præceps ierat multis de causis: primum omnium, qui ubique probro atque petulantia maxime præstabant; item alii, per dedecora patrimoniis amissis; postremo omnes, quos flagitium aut facinus domo expulerat, ii Romam, sicuti in sentinam, confluxerant: deinde multi memores Syllanæ victoriæ, quod ex gregariis militibus alios senatores videbant, alios ita divites, uti regio victu atque cultu ætatem agerent, sibi quisque, si in armis forent, ex victoria talia sperabant: præterea juventus, quæ in agris, manuum mercede, inopiam toleraverat, privatis atque publicis largitionibus excita, urbanum otium ingrato labori prætulerat: eos atque alios omnes malum publicum alebat; quo minus mirandum, homines egentes, malis moribus, maxima spe, rei publicæ juxta ac sibi consuluisse: præterea quorum, victoria Syllæ, parentes proscripti, bona erepta, jus libertatis imminutum erat, haud sane alio animo belli eventum expectabant: ad hoc, quicumque aliarum atque senati partium erant, conturbari rempublicam, quam minus valere ipsi malebant: id adeo malum multos post annos in civitatem reverterat.

38. Nam postquam Cn. Pompejo et M. Crasso consulibus tribunitia potestas restituta est; homines adolescentes summam potestatem nacti, quibus ætas animusque ferox erat, cœpere, senatum criminando, plebem exagitare; dein largiendo atque pollicitando magis incendere; ita ipsi clari potentesque fieri. Contra eos summa ope nitebatur pleraque nobilitas, senati specie, pro sua magnitudine. Namque, uti paucis verum

absolvam, per illa tempora quicumque rempublicam agitavere, honestis nominibus, alii, sicuti populi jura defenderent, pars, quo senati auctoritas maxima foret, bonum publicum simulantes, pro sua quisque potentia certabant: neque modestia, neque modus contentionis erat: utrique victoriam crudeliter exercebant.

39. Sed postquam Cn. Pompejus ad bellum maritimum atque Mithridaticum missus est; plebis opes imminutæ, paucorum potentia crevit: hi magistratus, provincias, alia omnia tenere: ipsi innoxii, florentes, sine metu ætatem agere, cæteros judiciis terrere, quo plebem in magistratu placidius tractarent. Sed ubi primum dubiis rebus novandi spes oblata, vetus certamen animos eorum arrexit. Quod si primo prælio Catilina superior, aut æqua manu discessisset; profecto magna clades atque calamitas rempublicam oppressisset: neque illis, qui victoriam adepti forent, diutius ea uti licuisset; quin defessis et exanguibus, qui plus posset, imperium atque libertatem extorqueret. Fuere tamen extra conjurationem complures, qui ad Catilinam initio profecti sunt: in his A. Fulvius, senatoris filius: quem retractum ex itinere parens necari jussit. Iisdem temporibus Romæ Lentulus, sicuti Catilina præceperat, quoscumque moribus aut fortuna novis rebus idoneos credebat, aut per se, aut per alios sollicitabat; neque solum cives, sed cujusque modi genus hominum, quod modo usui foret.

40. Igitur P. Umbreno cuidam negotium dat, uti legatos Allobrogum requirat, eosque, si possit, impellat ad societatem belli: existimans publice privatimque ære oppressos; præterea, quod natura gens Gallica bellicosa esset, facile eos ad tale consilium adduci posse. Umbrenus, quod in Gallia negotiatus erat, plerisque principibus civitatum notus, atque eos noverat: itaque sine mora, ubi primum legatos in foro conspexit, percontatus pauca de statu civitatis, et quasi dolens ejus casum, requirere cœpit, quem exi-

tum tantis malis sperarent? Postquam illos videt queri de avaritia magistratuum, accusare senatum, quod in eo auxilii nihil esset; miseriis suis remedium mortem expectare: *At ego*, inquit, *vobis*, *si modo viri esse vultis*, *rationem ostendam*, *qua tanta ista mala effugiatis.* Hæc ubi dixit, Allobroges in maximam spem adducti Umbrenum orare, uti sui misereretur: nihil tam asperum, neque tam difficile esse, quin cupidissime facturi essent, dum ea res civitatem ære alieno liberaret. Ille eos in domum D. Bruti perducit; quod foro propinqua erat, neque aliena consilii, propter Semproniam: nam tum Brutus ab Roma aberat: præterea Gabinium arcessit, quo major auctoritas sermoni inesset: eo præsente conjurationem aperit, nominat socios, præterea multos cujusque generis innoxios, quo legatis animus amplior esset: dein eos, pollicitos operam suam, dimittit.

41. Sed Allobroges diu in incerto habuere, quidnam consilii caperent: in altera parte erat æs alienum, studium belli, magna merces in spe victoriæ: at in altera majores opes, tuta consilia, pro incerta spe certa præmia. Hæc illis volventibus, tandem vicit fortuna reipublicæ. Itaque Q. Fabio Sangæ, cujus patrocinio civitas plurimum utebatur, rem omnem, uti cognoverant, aperiunt. Cicero, per Sangam consilio cognito, legatis præcipit, ut studium conjurationis vehementer simulent, cæteros adeant, bene polliceantur; dentque operam, uti eos quam maxime manifestos habeant.

42. Iisdem fere temporibus in Gallia citeriore atque ulteriore, item in agro Piceno, Bruttio, Apulia motus erat: namque illi, quos antea Catilina dimiserat, inconsulte ac veluti per dementiam cuncta simul agere: nocturnis consiliis, armorum atque telorum portationibus, festinando, agitando omnia, plus timoris, quam periculi effecerant. Ex eo numero complures Q. Metellus Celer prætor, ex senatusconsulto causa cognita, in vincula conjecerat; item in ulteriore Gallia C. Murena, qui ei provinciæ legatus præerat.

43. At Romæ Lentulus, cum cæteris, qui principes conjurationis erant, paratis, ut videbantur, magnis copiis, constituerunt, uti, Catilina in agrum Fæsulanum cùm venisset, L. Bestia tribunus plebis, concione habita, quereretur de actionibus Ciceronis, bellique gravissimi invidiam optimo consuli imponeret; eo signo, proxima nocte cætera multitudo conjurationis suum quisque negotium exequerentur. Sed ea divisa hoc modo dicebantur: Statilius et Gabinius uti cum magna manu duodecim simul opportuna loca urbis incenderent, quo tumultu facilior aditus ad consulem, cæteros, quibus insidiæ parabantur, fieret: Cethegus Ciceronis januam obsideret, eum vi aggrederetur, alius autem alium; filii familiarum, quorum ex nobilitate maxima pars, parentes interficerent; simul, cæde et incendio perculsis omnibus, ad Catilinam erumperent. Inter hæc parata atque decreta Cethegus semper querebatur de ignavia sociorum: illos dubitando et dies prolatando magnas opportunitates corrumpere; facto, non consulto, in tali periculo opus esse: seque, si pauci adjuvarent, languentibus aliis, impetum in curiam facturum. Natura ferox, vehemens, manu promptus, maximum bonum in celeritate putabat.

44. Sed Allobroges ex præcepto Ciceronis per Gabinium cæteros conveniunt: ab Lentulo, Cethego, Statilio, item Cassio postulant jusjurandum, quod signatum ad cives perferant: aliter haud facile eos ad tantum negotium impelli posse. Cæteri nihil suspicantes dant: Cassius semet eo brevi venturum pollicetur, ac paulo ante legatos ex urbe proficiscitur. Lentulus cum his T. Volturcium quemdam Crotoniensem mittit; uti Allobroges prius, quam domum pergerent, cum Catilina, data et accepta fide, societatem confirmarent. Ipse Volturcio litteras ad Catilinam dat, quarum exemplum infra scriptum:

Quis sim, ex eo, quem ad te misi, cognosces. Fac cogites in quanta calamitate sis, et memineris te vi-

rum; consideres, quid tuæ rationes postulent; auxilium petas ab omnibus, etiam ab infimis.

Ad hoc mandata verbis dat: *Cum ab senatu hostis judicatus sis, quo consilio servitia repudiet? in urbe parata esse, quæ jusserit: ne cunctetur ipse propius accedere.*

45. His rebus ita actis, constituta nocte, qua proficiscerentur, Cicero, per legatos cuncta edoctus, L. Valerio Flacco et C. Pontino prætoribus imperat, uti in ponte Mulvio per insidias Allobrogum comitatus deprehendant: rem omnem aperit, cujus gratia mittebantur: cætera, uti facto opus sit, ita agant. Homines militares, sine tumultu præsidiis collocatis, sicuti præceptum erat, occulte pontem obsidunt. Postquam ad id loci legati cum Volturcio venere, et simul utrinque clamor exortus est; Galli, cognito consilio, sine mora prætoribus se tradunt. Volturcius primo, cohortatus cæteros, gladio se à multitudine defendit; dein, ubi à legatis desertus est, multa prius de salute sua Pomptinum obtestatus, quod ei notus erat; postremo timidus ac vitæ diffidens, veluti hostibus, sese prætoribus dedit.

46. Quibus rebus confectis omnia propere per nuntios consuli declarantur. At illum ingens cura atque lætitia simul occupavere: nam lætabatur, conjuratione patefacta, civitatem periculis ereptam esse: porro autem anxius erat, in maximo scelere tantis civibus deprehensis, quid facto opus esse; pœnam illorum sibi oneri, impunitatem perdendæ reipublicæ fore. Igitur confirmato animo, vocari ad sese jubet Lentulum, Cethegum, Statilium, Gabinium, item Q. Cœparium quemdam Terracinensem, qui in Apuliam ad concitanda servitia proficisci parabat. Cæteri sine mora veniunt: Cœparius paulo ante domo egressus, cognito indicio, ex urbe profugerat. Consul Lentulum, quod prætor erat, ipse manu tenens perducit; reliquos cum custodibus in ædem Concordiæ venire jubet. Eo senatum advo-

cat, magnaque frequentia ejus ordinis, Volturcium cum legatis introducit: Flaccum prætorem scrinium cum litteris, quas à legatis acceperat, eodem adferre jubet.

47. Volturcius interrogatus de itinere, de litteris, postremo quid, aut qua de causa consilii habuisset? primo fingere alia, dissimulare de conjuratione; post ubi fide publica dicere jussus est, omnia, uti gesta erant, aperit: se paucis ante diebus à Gabinio et Cœpario socium ascitum, nihil amplius scire, quam legatos: tantummodo audire solitum ex Gabinio, P. Autronium, Servium Syllam, L. Varguntejum, multos præterea in ea conjuratione esse. Eadem Galli fatentur, ac Lentulum dissimulantem coarguunt, præter litteras, sermonibus, quos habere solitus: *ex libris Sibyllinis regnum Romæ tribus Corneliis portendi; Cinnam atque Syllam antea se tertium, cui fatum foret, urbis potiri; præterea ab incenso Capitolio illum esse vigesimum annum, quem sæpe ex prodigiis haruspices respondissent bello civili cruentum fore.* Igitur perlectis litteris, cum prius omnes signa sua cognovissent; senatus decernit, uti abdicatus Magistratu Lentulus, item cæteri in liberis custodiis haberentur. Itaque Lentulus P. Lentulo Spintheri, qui tum Ædilis, Cethegus Q. Cornificio, Statilius C. Cæsari, Gabinius M. Crasso, Cœparius (nam is paulo ante ex fuga retractus) Cn. Terentio senatori traduntur.

48. Interea plebes conjuratione patefacta, quæ primo cupida rerum novarum nimis bello favebat, mutata mente, Catilinæ consilia execrari, Ciceronem ad cœlum tollere; veluti ex servitute erepta gaudium atque lætitiam agitabat: namque alia belli facinora prædæ magis, quam detrimento fore; incendium vero crudele, immoderatum, ac sibi maxime calamitosum putabat, quippe cui omnes copiæ in usu quotidiano et cultu corporis erant. Post eum diem quidam L. Tarquinius ad senatum adductus erat, quem ad Catilinam proficiscentem ex itinere retractum ajebant. Is cum se di-

ceret indicaturum de conjuratione, si fides publica data esset; jussus à consule, quæ sciret, edicere, eadem fere, quæ Volturcius, de paratis incendiis, de cæde bonorum, de itinere hostium senatum edocet: præterea se missum à M. Crasso, qui Catilinæ nunciaret, ne Lentulus, Cethegus, alii ex conjuratione deprehensi, terrerent; eoque magis properaret ad urbem accedere, quo et cæterorum animos reficeret, et illi facilius è periculo eriperentur. Sed ubi Tarquinius Crassum nominavit, hominem nobilem, maximis divitiis, summa potentia; alii, rem incredibilem rati; pars tametsi verum existimabant, tamen quia in tali tempore tanta vis hominis lenienda magis, quam exagitanda videbatur; plerique Crasso ex negotiis privatis obnoxii, conclamant, indicem falsum, deque ea re postulant, uti referatur. Itaque, consulente Cicerone, frequens senatus decernit: *Tarquinii indicium falsum videri, eumque in vinculis retinendum; neque amplius potestatem faciendam, nisi de eo indicaret, cujus consilio tantam rem mentitus esset.* Erant eo tempore, qui æstimarent, illud à P. Autronio machinatum, quo facilius, appellato Crasso, per societatem periculi reliquos illius potentia tegeret: alii Tarquinium à Cicerone immissum ajebant, ne Crassus, more suo, suscepto malorum patrocinio rempublicam conturbaret: ipsum Crassum ego postea prædicantem audivi, tantam illam contumeliam sibi ab Cicerone impositam.

49. Sed iisdem temporibus Q. Catulus et C. Piso neque gratia, neque precibus, neque pretio Ciceronem impellere potuere, uti per Allobroges, aut alium indicem C. Cæsar falso nominaretur: nam uterque cum illo graves inimicitias exercebant. Piso oppugnatus in judicio repetundarum, propter cujusdam Transpadani supplicium injustum: Catulus ex petitione pontificatus odio incensus, quod extrema ætate, maximis honoribus usus, ab adolescentulo Cæsare victus discesserat: res autem opportuna videbatur; quod privatim egre-

gia liberalitate, publice maximis muneribus grandem pecuniam debebat. Sed ubi consulem ad tantum facinus impellere nequeunt, ipsi singulatim circumeundo, atque ementiendo, quæ se ex Volturcio, aut Allobrogibus audisse dicerent, magnam illi invidiam conflaverant; usque eo, ut nonnulli equites Romani, qui præsidii causa cum telis erant circum ædem Concordiæ, seu periculi magnitudine seu animi nobilitate impulsi, quo studium suum in rempublicam clarius esset, egredienti ex senatu Cæsari gladio minitarentur.

50. Dum hæc in senatu aguntur, et dum legatis Allobrogum et Tito Volturcio, comprobato eorum indicio, præmia decernuntur: liberti et pauci ex clientibus Lentuli, diversis itineribus opifices atque servitia in vicis ad eum eripiendum sollicitabant: partim exquirebant duces multitudinum, qui pretio rempublicam vexare soliti. Cethegus autem per nuntios familiam atque libertos suos, lectos et exercitatos in audaciam, orabat, grege facto, cum telis ad sese irrumperent. Consul, ubi ea parari cognovit, dispositis præsidiis, uti res atque tempus monebat, convocato senatu refert, *quid de his fieri placeat, qui in custodiam traditi erant.* Sed *eos* paulo ante frequens senatus judicaverat *contra rempublicam fecisse.* Tum D. Junius Silanus, primus sententiam rogatus, quod eo tempore consul designatus erat, de his, qui in custodiis tenebantur, præterea de L. Cassio, P. Furcio, P. Umbreno, Q. Annio, si deprehensi forent, supplicium sumendum decreverat: isque postea, permotus oratione C. Cæsaris, pedibus in sententiam Tib. Neronis iturum se dixerat; quod de ea re, præsidiis additis, referendum censuerat. Sed Cæsar, ubi ad eum ventum (rogatus sententiam à consule) hujuscemodi verba locutus est.

51. *Omnes homines P. C. qui de rebus dubiis consultant, ab odio, amicitia, ira atque misericordia vacuos esse decet. Haud facile animus verum providet, ubi illa officiunt: neque quisquam omnium libidi-*

ni simul et usui paruit. Ubi intenderis ingenium, valet: si libido possidet, ea dominatur; animus nihil valet. Magna mihi copia est memorandi P. C. qui reges atque populi, ira aut misericordia impulsi, male consuluerint: sed ea malo dicere, quæ majores nostri, contra libidinem animi, recte atque ordine fecere. Bello Macedonico, quod cum rege Perse gessimus, Rhodiorum civitas, magna atque magnifica, quæ populi Romani opibus creverat, infida atque adversa nobis fuit: sed postquam, bello confecto, de Rhodiis consultum est; majores nostri, ne quis divitiarum magis, quam injuriæ causa bellum inceptum diceret, impunitos dimisere: item bellis Punicis omnibus, cum sæpe Carthaginienses, et in pace et per inducias multa nefanda facinora fecissent; nunquam ipsi per occasionem talia fecere; magis, quid se dignum foret, quam quid in illos jure fieri posset, quærebant. Hoc idem vobis providendum est, P. C. ne plus valeat apud vos P. Lentuli, et cæterorum scelus, quam vestra dignitas; neu magis iræ, quam famæ consulatis. Nam si digna pœna pro factis eorum reperitur, novum consilium approbo: sin magnitudo sceleris omnium ingenia exuperat; iis utendum censeo, quæ legibus comparata sunt. Plerique eorum, qui ante me sententias dixerunt, composite atque magnifice casum reipublicæ miserati sunt: quæ belli sævitia, quæ victis acciderent, enumeravere: rapi virgines, pueros; divelli liberos à parentum complexu; matres familiarum pati, quæ victoribus collibuissent; fana atque domos expoliari; cædem, incendia fieri; postremo armis, cadaveribus, cruore atque luctu omnia compleri. Sed, per deos immortales, quo illa oratio pertinuit? an, uti vos infestos conjurationi faceret? scilicet, quem res tanta atque tam atrox non permovit, eum oratio accendet? Non ita est: neque cuiquam mortalium injuriæ suæ parvæ videntur, multi eas gravius æquo habuere. Sed aliis alia licentia, P. C. qui demissi in obs-

obscuro vitam agunt, si quid iracundia deliquere, pauci sciunt; fama atque fortuna pares sunt: qui magno imperio præditi, in excelso ætatem agunt, eorum facta cuncti mortales novere. Ita in maxima fortuna, minima licentia est: neque studere, neque odisse, sed minime irasci decet: quæ apud alios iracundia dicitur, ea in imperio superbia atque crudelitas appellatur. Equidem ego sic æstimo, P. C. omnes cruciatus minores, quam facinora illorum esse: sed plerique mortales postrema meminere; et in hominibus impiis, sceleris obliti, de pœna disserunt, si ea paulo severior fuerit. D. Silanum, virum fortem atque strenuum, certe scio, quæ dixerit, studio reipublicæ dixisse, neque illum in tanta re gratiam, aut inimicitias exercere: eos mores, eam modestiam viri cognovi. Verum sententia ejus non mihi crudelis (quid enim in tales homines crudele fieri potest?) sed aliena à republica nostra videtur. Nam profecto aut metus, aut injuria te subegit, Silane, consulem designatum, genus pœnæ novum decernere. De timore supervacaneum est disserere, cum præsenti diligentia clarissimi viri consulis tanta præsidia sint in armis: de pœna possumus equidem dicere id, quod res habet: in luctu atque miseriis, mortem ærumnarum requiem, non cruciatum esse; eam cuncta mortalium mala dissolvere; ultra neque curæ neque gaudio locum esse. Sed per deos immortales, quamobrem in sententiam non addidisti, uti prius verberibus in eos animadverteretur? an, quia lex Porcia vetat? at aliæ leges item condemnatis civibus animam non eripi, sed exilium permitti jubent. An, quia gravius est verberari, quam necari? quid autem acerbum, aut grave nimis in homines tanti facinoris convictos? sin, quia levius; qui convenit, in minore negotio legem timere, cum eam in majore neglexeris? At enim quis reprehendet, quod in parricidas reipublicæ decretum erit? tempus, dies, fortuna, cujus libido gentibus moderatur. Illis merito accidet, quidquid evenerit: cæ-

terum vos, P. C. quid in alios statuatis, considerate. Omnia mala exempla ex bonis orta sunt: sed ubi imperium ad ignaros aut minus bonos pervenit; novum illud exemplum ab dignis et idoneis ad indignos et non idoneos transfertur. Lacedæmonii, devictis Atheniensibus, triginta viros imposuere, qui rempublicam eorum tractarent. Hi primo cœpere pessimum quemque et omnibus invisum indemnatum necare: ea populus lætari et merito dicere fieri: post, ubi paulatim licentia crevit, juxta bonos et malos libidinose interficere, cæteros metu terrere. Ita civitas servitute oppressa, stultæ lætitiæ graves pœnas dedit. Nostra memoria, victor Sylla cum Damasippum, et alios hujusmodi, qui malo reipublicæ creverant, jugulari jussit; quis non factum ejus laudabat? homines scelestos et factiosos, qui seditionibus rempublicam exagitaverant, merito necatos ajebant. Sed ea res magnæ initium cladis fuit: nam uti quisque domum aut villam, postremo aut vas aut vestimentum alicujus concupiverat, dabat operam, ut in proscriptorum numero esset. Hi quibus Damasippi mors lætitiæ fuerat, post paulo ipsi trahebantur: neque prius finis jugulandi fuit, quam Sylla omnes suos divitiis explevit. Atque ego hæc non in M. Tullio, neque his temporibus vereor; sed in magna civitate multa et varia ingenia sunt. Potest alio tempore, alio consule, cui item exercitus in manu sit, falsum aliquid pro vero credi: ubi hoc exemplo, per senatus decretum, consul gladium eduxerit; quis finem statuet, aut quis moderabitur? Majores nostri neque consilii neque audaciæ unquam eguere: neque superbia obstabat, quo minus aliena instituta, si modo proba, imitarentur. Arma atque tela militaria ab Samnitibus, insignia magistratuum ab Tuscis pleraque sumpserunt: postremo, quod ubique apud socios, aut hostes idoneum videbatur, cum summo studio domi exequebantur: imitari, quam invidere bonis malebant. Sed eodem illo tempore, Græciæ morem imitati, verberibus

animadvertebant in cives, de condemnatis summum supplicium sumebant. Postquam respublica adolevit et multitudine civium factiones valuere; circumveniri innocentes, alia hujuscemodi fieri cœpere: tum lex Porcia aliæque paratæ, quibus legibus exilium damnatis permissum. Hanc ego causam, P. C. quo minus novum consilium capiamus, in primis magnam puto. Profecto virtus atque sapientia major in illis fuit, qui ex parvis opibus tantum imperium fecere, quam in nobis, qui ea bene parta vix retinemus. Placet igitur eos dimitti, et augeri exercitum Catilinæ? minime: sed ita censeo: publicandas eorum pecunias; ipsos in vinculis habendos per municipia, quæ maxime opibus valent: neu quis de his postea ad senatum referat, neve cum populo agat: qui aliter fecerit, senatum existimare, eum contra rempublicam et salutem omnium facturum. Postquam Cæsar dicendi finem fecit, cæteri verbo, alius alii varie assentiebantur: at M. Porcius Cato, rogatus sententiam, hujuscemodi orationem habuit [illegible]

52. *Longe mihi alia mens est, P. C. cum res atque pericula nostra considero, et cum sententias nonnullorum mecum ipse reputo. Illi mihi disseruisse videntur de pœna eorum, qui patriæ, parentibus, aris atque focis suis bellum paravere: res autem monet, cavere ab illis magis, quam quid in illos statuamus, consultare: nam cætera tum persequare, ubi facta sunt: hoc, nisi provideris, ne accidat; ubi evenit, frustra judicia implores: capta urbe, nihil fit reliqui victis. Sed per deos immortales, vos ego appello, qui semper domos, villas, signa, tabulas vestras pluris, quam rempublicam fecistis: si ista, cujuscumque modi sint, quæ amplexamini, retinere, si voluptatibus vestris otium præbere vultis; expergiscimini aliquando, et capessite rempublicam. Non agitur de vectigalibus, non de sociorum injuriis; libertas et anima nostra in dubio est. Sæpenumero, P. C. multa verba in hoc ordine feci;*

sæpe de luxuria atque avaritia nostrorum civium questus sum; multosque mortales ea causa adversos habeo: qui mihi atque animo meo nullius nunquam delicti gratiam fecissem, haud facile alterius libidini malefacta condonabam. Sed, ea tametsi vos parvi pendebatis; tamen respublica firma, opulentia negligentiam tolerabat, Nunc vero non id agitur, bonis, an malis moribus vivamus: neque quantum, aut quam magnificum imperium populi Romani; sed cujus hæc cumque modi, nostra, an nobiscum una, hostium futura sint. Hic mihi quisquam mansuetudinem et misericordiam nominat: jam pridem equidem nos vera rerum vocabula amisimus; quia bona aliena largiri, liberalitas; malarum rerum audacia fortitudo vocatur: eo respublica in extremo sita. Sint sane, quoniam ita se mores habent, liberales ex sociorum fortunis, sint misericordes in furibus ærarii; ne, sanguinem nostrum largiantur, et, dum paucis sceleratis parcunt, bonos omnes perditum eant. Bene et composite C. Cæsar paulo ante in hoc ordine de vita et morte disseruit; falsa, credo, existimans, quæ de inferis memorantur: diverso itinere malos à bonis loca tetra, inculta, fœda atque formidolosa habere. Itaque censuit, pecunias eorum publicandas, ipsos per municipia habendos; videlicet ne, aut à popularibus conjurationis, aut à multitudine conducta per vim eripiantur. Quasi vero mali atque scelesti tantummodo in Urbe, et non per totam Italiam sint; aut non ibi plus possit audacia, ubi ad defendendum opes minores. Quare vanum equidem hoc consilium, si periculum ex illis metuit: sin in tanto omnium metu solus non timet; eo magis refert, mihi atque vobis timere. Quare cum de P. Lentulo cæterisque statuetis, pro certo habetote, vos simul de exercitu Catilinæ et de omnibus conjuratis decernere. Quanto vos attentius ea agetis, tanto illis animus infirmior erit: si paululum modo vos languere viderint; jam omnes feroces aderunt. Nolite existimare, majo-

res nostros armis rempublicam ex parva magnam fecisse. Si ita res esset; multo pulcherrimam eam nos haberemus: quippe sociorum atque civium, præterea armorum atque equorum, major nobis copia, quam illis. Sed alia fuere, quæ illos magnos fecere; quæ nobis nulla sunt: domi industria, foris justum imperium, animus in consulendo liber, neque delicto, neque libidini obnoxius. Pro his nos habemus luxuriam atque avaritiam; publice egestatem, privatim opulentiam; laudamus divitias, sequimur inertiam; inter bonos et malos discrimen nullum: omnia virtutis præmia ambitio possidet. Neque mirum: ubi vos separatim sibi quisque consilium capitis, ubi domi voluptatibus, hic pecuniæ aut gratiæ servitis; eo fit, ut impetus fiat in vacuam rempublicam. Sed ego hæc omitto. Conjuravere nobilissimi cives, patriam incendere: Gallorum gentem, infestissimam nomine Romano, ad bellum arcessunt: dux hostium cum exercitu supra caput est. Vos cunctamini etiam nunc, quid, intra mœnia deprehensis hostibus, faciatis? misereamini, censeo (deliquere homines adolescentuli per ambitionem) atque etiam armatos dimittatis. Ne ista vobis mansuetudo, et misericordia, si illi arma ceperint, in miseriam vertet. Scilicet res aspera est; sed vos non timetis eam. Immo vero maxime; sed inertia et mollitia animi, alius alium expectantes cunctamini, videlicet diis immortalibus confisi, qui hanc rempublicam in maximis sæpe periculis servavere. Non votis, neque suppliciis muliebribus auxilia deorum parantur: vigilando ac agendo, bene consulendo, prospera omnia cedunt: ubi socordiæ te atque ignaviæ tradideris, nequidquam deos implores; irati infestique sunt. Apud majores nostros T. Manlius Torquatus bello Gallico filium suum, quod is contra imperium in hostem pugnaverat, necari jussit: atque ille egregius adolescens immoderatæ fortitudinis morte pœnas dedit. Vos de crudelissimis parricidis quid statuatis, cunctamini? videlicet vita

cætera eorum huic sceleri obstat. Verum parcite dignitati Lentuli, si ipse pudicitiæ, si famæ suæ, si diis aut hominibus unquam ullis pepercit: ignoscite Cethegi adolescentiæ, nisi iterum patriæ bellum fecit. Nam quid ego de Gabinio, Statilio, Cæpario loquar? quibus si quidquam unquam pensi fuisset, non ea consilia de republica habuissent. Postremo, P. C. si mehercule peccato locus esset, facile pateret, vos ipsa re corrigi, quoniam verba contemnitis; sed undique circumventi sumus. Catilina cum exercitu faucibus urget: alii intra mœnia, in sinu urbis, sunt hostes: neque parari neque consuli quidquam occulte potest: quo magis properandum. Quare ita censeo: cum nefario consilio celeratorum civium respublica in maxima pericula venerit, hique indicio T. Volturcii et legatorum Allobrogum convicti, confessique sint, cædem, incendia, alia fœda atque crudelia facinora in cives patriamque paravisse; de confessis, sicuti de manifestis rerum capitalium, more majorum, supplicium sumendum.

53. Postquam Cato assedit: consulares omnes, itemque senatus magna pars sententiam ejus laudant, virtutem animi ad cœlum ferunt: alii alios increpantes timidos vocant: Cato magnus atque clarus habetur: senatus decretum fit, sicuti ille censuerat. Sed mihi multa legenti, multa audienti, quæ populus Romanus domi militiæque, mari atque terra præclara facinora fecit, forte lubuit attendere, quæ res maxime tanta negotia sustinuisset. Sciebam, sæpe numero parva manu cum magnis legionibus hostium contendisse: cognoveram parvis copiis bella gesta cum opulentis regibus: ad hoc sæpe fortunæ violentiam toleravisse: facundia Græcos, gloria belli Gallos ante Romanos fuisse: ac mihi multa agitanti constabat, paucorum civium egregiam virtutem cuncta patravisse; eoque factum, uti divitias paupertas, multitudinem paucitas superaret. Sed postquam luxu atque desidia civitas corrup-

ta est, rursus respublica magnitudine sua imperatorum atque magistratuum vitia sustentabat: ac, veluti effœta parente, multis tempestatibus haud sane quisquam Romæ virtute magnus fuit. Sed memoria mea, ingenti virtute, diversi moribus fuere viri duo, M. Cato, et C. Cæsar, quos, quoniam res obtulerat, silentio præterire, non fuit consilium, quin utriusque naturam et mores, quantum ingenio possem, aperirem.

54. Igitur his genus, ætas, eloquentia prope æqualia fuere: magnitudo animi par, item gloria; sed alia aliis Cæsar beneficiis ac munificentia magnus habebatur; integritate vitæ Cato: ille mansuetudine et misericordia clarus factus; huic severitas dignitatem addiderat. Cæsar dando, sublevando, ignoscendo; Cato nihil largiendo gloriam adeptus: in altero miseris perfugium; in altero malis pernicies: illius facilitas; hujus constantia laudabatur: postremo Cæsar in animum induxerat, laborare, vigilare, negotiis amicorum intentus, sua negligere; nihil denegare, quod dono dignum esset; sibi magnum imperium, exercitum, novum bellum exoptabat, ubi virtus enitescere posset: at Catoni studium modestiæ, decoris, sed maxime severitatis erat: non divitiis cum divite, neque factione cum factioso; sed cum strenuo virtute, cum modesto pudore, cum innocente abstinentia certabat: esse, quam videri, bonus malebat: ita, quo minus gloriam petebat, eo magis sequebatur.

55. Postquam, ut dixi, senatus in Catonis sententiam discessit, consul optimum factum ratus, noctem, quæ instabat, antecapere; ne quid eo spatio novaretur, triumviros, quæ suplicium postulabat, parare jubet: ipse, dispositis præsidiis, Lentulum in carcerem deducit: idem fit cæteris per prætores. Est locus in carcere quod Tullianum appellatur, ubi paululum ascenderis ad Lævam, circiter XII pedes humi depressus: eum muniunt undique parietes, atque insuper camera lapideis fornicibus vincta; sed incultu tenebris, odore

fœda atque terribilis ejus facies est: in eum locum postquam demissus Lentulus, quibus præceptum erat, laqueo gulam fregere. Ita ille patricius, ex clarissima gente Corneliorum, qui consulare imperium Romæ habuerat, dignum moribus factisque suis exitum vitæ invenit. De Cethego, Statilio, Gabinio, Cæpario eodem modo supplicium sumptum.

56. Dum ea Romæ geruntur, Catilina ex omni copia, quam et ipse adduxerat, et Manlius habuerat, duas legiones instituit; cohortes pro numero militum complet: dein, ut quisque voluntarius, aut ex sociis in castra venit, æqualiter distribuerat, ac brevi spatio legiones numero hominum expleverat; cum initio non amplius duobus millibus habuisset. Sed ex omni copia circiter pars quarta erat militaribus armis instructa; cæteri, ut quemque casus armaverat, sparos aut lanceas, alii præacutas sudes portabant. Sed postquam Antonius cum exercitu adventabat, Catilina per montes iter facere, ad urbem modo, modo in Galliam versus castra movere; hostibus occasionem pugnandi non dare, sperans propediem magnas copias se habiturum, si Romæ socii incepta patravissent: interea servitia repudiabat, cujus initio ad eum magnæ copiæ concurrebant: opibus conjurationis fretus; simul alienum suis rationibus existimans, videri causam civium cum servis fugitivis communicavisse.

57. Sed postquam in castra nuntius pervenit, Romæ conjurationem patefactam; de Lentulo, Cethego, cæteris, quos supra memoravi, supplicium sumptum: plerique, quos ad bellum spes rapinarum, aut novarum rerum studium illexerat, dilabuntur: reliquos Catilina per montes asperos magnis itineribus in agrum Pistoriensem abducit; eo consilio, uti per tramites occulte profugeret in Galliam. At Q. Metellus Celer cum tribus legionibus in agro Piceno præsidebat, ex difficultate rerum eadem illa existimans, Catilinam agitare. Igitur ubi iter ejus ex perfugis cognovit, castra

propere movet, ac sub ipsis radicibus montium consedit, qua illi descensus erat: neque tamen Antonius procul aberat; utpote qui magno exercitu locis æquioribus expeditos in fugam sequeretur. Sed Catilina postquam videt montibus atque copiis hostium sese clausum, in urbe res adversas, neque fugæ, neque præsidii ullam spem; optimum factum ratus, in tali re fortunam belli tentare, statuit cum Antonio quam primum confligere. Itaque concione advocata, hujuscemodi orationem habuit.

58. *Compertum ego habeo, milites, verba virtutem non addere; neque ex ignavo strenuum, neque fortem ex timido exercitum oratione imperatoris fieri. Quanta cujusque animo audacia natura aut moribus inest, tanta in bello patere solet: quem neque gloria, neque pericula excitant, nequidquam hortere: timor animi auribus officit. Sed ego vos, quo pauca monerem, advocavi; simul uti causam consilii aperirem. Scitis equidem, milites, socordia atque ignavia Lentuli quantam ipsi cladem nobisque attulerit; quoque modo, dum ex urbe præsidia opperior, in Galliam proficisci nequiverim. Nunc vero quo in loco res nostræ sint, juxta mecum omnes intelligitis. Exercitus hostium duo, unus ab urbe, alter à Gallia, obstant: diutius in his locis esse, si maxime animus ferat, frumenti atque aliarum rerum egestas prohibet: quocumque ire placet, ferro iter aperiendum est. Quapropter vos moneo, uti forti atque parato animo sitis; et, cum prælium inibitis, memineritis, vos divitias, decus, gloriam, præterea libertatem atque patriam in dextris portare. Si vincimus, omnia tuta erunt, commeatus abunde, coloniæ atque municipia patebunt: sin metu cesserimus, eadem illa adversa fiunt: neque locus, neque amicus quisquam teget, quem arma non texerint. Præterea, milites, non eadem nobis et illis necessitudo impendet: nos pro patria, pro libertate, pro vita certamus: illis supervacaneum est, pugnare pro potentia paucorum:*

quo audacius aggredimini, memores pristinæ virtutis. Licuit vobis cum summa turpitudine in exilio ætatem agere: potuistis nonnulli Romæ, amissis bonis, alienas opes expectare: quia illa fœda atque intoleranda viris videbantur, hæc sequi decrevistis. Si relinquere vultis, audacia opus est: nemo, nisi victor, pace bellum mutavit. Nam in fuga salutem sperare, cum arma, quîs corpus tegitur, ab hostibus averteris, ea vero dementia est. Semper in prælio his maximum est periculum, qui maxime timent: audacia pro muro habetur. Cum vos considero, milites, et cum facta vestra æstimo, magna me spes victoriæ tenet. Animus, ætas, virtus vestra hortatur; præterea necessitudo, quæ etiam timidos fortes facit. Nam multitudo hostium ne circumvenire queat, prohibent angustiæ loci. Quod si virtuti vestræ fortuna inviderit, cavete inulti animam amittatis; neu capti potius, sicuti pecora, trucidemini, quam virorum more pugnantes, cruentam atque luctuosam victoriam hostibus relinquatis.

59. Hæc ubi dixit, paululum commoratus, signa canere jubet, atque instructos ordines in locum æquum deducit: dein, remotis omnium equis, quo militibus, exæquato periculo, animus amplior esset, ipse pedes exercitum pro loco atque copiis instruit. Nam uti planities erat inter sinistros montes, et ab dextera rupis aspera, octo cohortes in fronte constituit: reliqua signa in subsidio artius collocat. Ab his centuriones omnes, electos et evocatos, præterea ex gregariis militibus optimum quemque armatum in primam aciem subducit. C. Manlium in dextera, Fæsulanum quemdam in sinistra parte curare jubet: ipse cum libertis et colonis propter Aquilam assistit, quam bello Cimbrico C. Marius in exercitu habuisse dicebatur. At ex altera parte C. Antonius, pedibus æger, quod prælio adesse nequibat, M. Petrejo legato exercitum permittit. Ille cohortes veteranas, quas tumulti causa conscripserat, in fronte, post eas cæterum exercitum in

subsidiis locat: ipse equo circumiens, unumquemque nominans appellat, hortatur, rogat, uti meminerint, se contra latrones inermes, pro patria, pro liberis, pro aris atque focis suis cernere. Homo militaris, quod amplius annos triginta tribunus, aut præfectus, aut legatus, aut prætor cum magna gloria fuerat, plerosque ipsos factaque eorum fortia noverat, ea commemorando militum animos accendebat.

60. Sed ubi, rebus omnibus exploratis, Petrejus tuba signum dat, cohortes paulatim incendere jubet: idem facit hostium exercitus. Postquam eo ventum, unde à ferentariis prælium committi posset, maximo clamore cum infestis signis concurrunt: pila omittunt; gladiis res geritur: veterani, pristinæ virtutis memores, cominus acriter instare; illi haud timidi resistunt: maxima vi certatur. Interea Catilina cum expeditis in prima acie versari, laborantibus succurrere, integros pro sauciis arcessere: omnia providere: multum ipse pugnare, sæpe hostem ferire: strenui militis et boni imperatoris officia simul exequebatur. Petrejus, ubi vidit Catilinam contra, ac ratus erat, magna vi tendere; cohortem prætoriam in medios hostes inducit, eos perturbatos, atque alios alibi resistentes interficit: deinde utrinque ex lateribus cæteros aggreditur. Manlius et Fæsulanus in primis pugnantes cadunt. Posquam fusas copias, seque cum paucis relictum videt Catilina, memor generis atque pristinæ dignitatis, in confertissimos hostes incurrit, ibique pugnans confoditur.

61. Sed confecto prælio, tum vero cerneres, quanta audacia quantaque animi vis fuisset in exercitu Catilinæ. Nam fere quem quisque pugnando locum ceperat, eum, amissa anima, corpore tegebat. Pauci autem, quos medios cohors prætoria disjecerat, paulo diversius, sed omnes tamen adversis vulneribus conciderant. Catilina vero longe à suis, inter hostium cadavera repertus est; paululum etiam spirans, ferociamque animi, quam habuerat vivus, in vultu retinens. Pos-

tremo ex omni copia neque in prælio, neque in fuga, quisquam civis ingenuus captus: ita cuncti suæ hostiumque vitæ juxta pepercerant. Neque tamen exercitus populi Romani lætam aut incruentam victoriam adeptus: nam strenuissimus quisque aut occiderat in prælio, aut graviter vulneratus discesserat. Multi autem, qui de castris visendi, aut spoliandi gratia processerant, volventes hostilia cadavera, amicum alii, pars hospitem aut cognatum reperiebant: fuere item, qui inimicos suos cognoscerent. Ita varie per omnem exercitum lætitia, mœror; luctus atque gaudia agitabantur.



EX TITI LIVII HISTORIA.



AD UNIVERSAM HISTORIAM

PRÆFATIO.



Facturusne operæ pretium sim, si à primordio urbis res populi Romani perscripserim, nec satis scio; nec, si sciam, dicere ausim: quippe qui cum veterem, tum vulgatam esse rem videam; dum novi semper scriptores, aut in rebus certius aliquid allaturos se, aut scribendi arte rudem vetustatem superaturos credunt. Utcumque erit, juvabit tamen, rerum gestarum memoriæ principis terrarum populi pro virili parte et me ipsum consulisse; et, si in tanta scriptorum turba mea fama in obscuro sit, nobilitate ac magnitudine eorum, meo qui nomini officient, me consoler. Res est præterea et immensi operis, ut quæ supra septingentesimum annum repetatur; et quæ, ab exiguis profecta initiis, eo creverit, ut jam magnitudine laboret sua: et legentium plerisque, haud dubito, quin primæ origines proximaque originibus minus præbitura voluptatis sint, festinantibus ad hæc nova, quibus jam pridem prævalentis populi vires se ipsæ conficiunt. Ego contra hoc quoque laboris præmium petam, ut me à conspectu malorum,

quæ nostra tot per annos vidit ætas, tantisper, certe dum prisca illa tota mente repeto, avertam, omnis expers curæ, quæ scribentis animum, etsi non flectere à vero, sollicitum tamen efficere possit. Quæ ante conditam condendamve urbem, poëticis magis decora fabulis, quam incorruptis rerum gestarum monumentis, traduntur, ea nec affirmare, nec refellere in animo est. Datur hæc venia antiquitati, ut, miscendo humana divinis, primordia urbium augustiora faciat. Et, si cui populo licere oportet, consecrare origines suas, et ad deos referre auctores; ea belli gloria est populo Romano, ut, cum suum conditorisque sui parentem Martem potissimum ferat, tam et hoc gentes humanæ patiantur æquo animo, quam imperium patiuntur. Sed hæc et his similia, utcumque animadversa aut existimata erunt, haud in magno equidem ponam discrimine. Ad illa mihi pro se quisque acriter intendat animum, quæ vita, qui mores fuerint: per quos viros, quibusque artibus, domi militiæque, et partum et auctum imperium sit: labente deinde paulatim disciplina, velut desidentes primo mores sequatur animo; deinde ut magis magisque lapsi sint; tum ire cœperint præcipites: donec ad hæc tempora, quibus nec vitia nostra, nec remedia pati possumus, perventum est. Hoc illud est præcipue in cognitione rerum salubre ac frugiferum, omnis te exempli documenta in illustri posita monumento intueri: inde tibi tuæque reipublicæ, quod imitere, capias: inde fœdum inceptu, fœdum exitu, quod vites. Cæterum aut me amor negotii suscepti fallit, aut nulla unquam respublica nec major, nec sanctior, nec bonis exemplis ditior fuit: nec in quam civitatem tam seræ avaritia luxuriaque immigraverint: nec ubi tantus ac tam diu paupertati ac parsimoniæ honos fuerit: adeo, quanto rerum minus, tanto minus cupiditatis erat. Nuper divitiæ avaritiam, et abundantes voluptates desiderium per luxum atque libidinem pereundi perdendique omnia invexere. Sed querelæ, ne tum quidem gratæ futu-

ræ, cum forsitan et necessariæ erunt, ab initio certe tantæ ordiendæ rei absint. Cum bonis potius omnibus votisque ac precationibus deorum dearumque, si, ut poëtis, nobis quoque mos esset, libentius inciperemus, ut orsis tanti operis successus prosperos darent.

T. HOSTILII BELLUM CUM ALBANIS.

1. Tullus Hostilius non solum proximo regi dissimilis, sed ferocior etiam Romulo fuit: tum ætas viresque, tum avita quoque gloria animum stimulabat. Senescere igitur civitatem otio ratus, undique materiam excitandi belli quærebat. Forte evenit, ut agrestes Romani ex Albano agro, Albani ex Romano prædas invicem agerent. Imperitabat tum C. Cluilius Albæ. Utrinque legati fere sub idem tempus ad res repetendas missi. Tullus præceperat suis, ne quid prius, quam mandata, agerent: satis sciebat, negaturum Albanum; ita pie bellum indici posse. Ab Albanis socordius res acta: excepti hospitio ab Tullo blande ac benigne, comiter regis convivium celebrant: tantisper Romani et res repetiverant priores, et neganti Albano bellum in trigesimum diem indixerant: hæc renuntiant Tullo. Tum legatis Tullus dicendi potestatem, quid petentes venerint, facit: illi omnium ignari, primum purgando terunt tempus: *Se invitos quidquam, quod minus placeat Tullo, dicturos; sed imperio subigi: res repetitum se venisse. Ni reddantur, bellum indicere jussos.* Ad hæc Tullus: *Nuntiate*: inquit, *regi vestro, regem Romanum deos facere testes, uter prius populus res repetentes legatos aspernatus dimiserit, ut in eum omnes expetant hujusce clades belli.*

2. Hæc nuntiant domum Albani. Et bellum utrinque summa ope parabatur, civili simillimum bello, prope inter parentes natosque, Trojanam utramque prolem, cum Lavinium ab Troja, ab Lavinio Alba, ab Al-

banorum stirpe regum oriundi Romani essent. Eventus tamen belli minus miserabilem dimicationem fecit: quod nec acie certatum est; et, tectis modo dirutis alterius urbis, duo populi in unum confusi sunt. Albani priores ingenti exercitu in agrum Romanum impetum fecere: castra ab urbe haud plus quinque millia passuum locant, fossa circumdant: fossa Cluilia ab nomine ducis per aliquot secula appellata est, donec cum re nomen quoque vetustate abolevit. In his castris Cluilius Albanus rex moritur; dictatorem Albani Mettum Fuffetium creant. Interim Tullus ferox, præcipue morte regis, magnumque deorum numen, ab ipso capite orsum, in omne nomen Albanum expetiturum pœnas ob bellum impium dictitans, nocte, præteritis hostium castris, infesto exercitu in agrum Albanum pergit. Ea res ab stativis excivit Mettum: ducit, quam proxime ad hostem potest: inde legatum præmissum nuntiare Tullo jubet, *priusquam dimicent, opus esse colloquio: si secum congressus sit, satis scire, ea se allaturum, quæ nihilo minus ad rem Romanam, quam ad Albanam pertineant.* Haud aspernatus Tullus, tametsi vana afferebantur, in aciem educit. Exeunt contra et Albani. Postquam instructi utrinque stabant, cum paucis procerum in medium duces procedunt. Ibi infit Albanus: *Injurias et non redditas res ex fœdere, quæ repetitæ sint, et ego regem nostrum Cluilium, causam hujusce esse belli, audisse videor: nec te dubito, Tulle, eadem præ te ferre: sed, si vera potius, quam dictu speciosa dicenda sunt, cupido imperii duos cognatos vicinosque populos ad arma stimulat. Neque, recte, an perperam, interpretor: fuerit ista ejus deliberatio, qui bellum suscepit: me Albani gerendo bello ducem creavere. Illud te, Tulle, monitum velim: Etrusca res, quanta circa nos teque maxime sit, quo propiores vos, hoc magis scis: multum illi terra, plurimum mari pollent. Memor esto, jam, cum signum pugnæ dabis, has duas acies spectaculo fore; ut fessos*

confectosque, simul victorem ac victum aggrediantur. Itaque, si nos dii amant, quoniam, non contenti libertate certa, in dubiam imperii servitiique aleam imus, ineamus aliquam viam, qua utri utris imperent, sine magna clade, sine multo sanguine utriusque populi, decerni possit. Haud displicet res Tullo, quamquam tum indole animi, tum spe victoriæ, ferocior erat. Quærentibus utrinque ratio initur, cui et fortuna ipsa præbuit materiam.

T. Hostilii fœdus cum Albanis.

3. Forte in duobus tum exercitibus erant trigemini fratres, nec ætate, nec viribus dispares. Horatios Curatiosque fuisse, satis constat, nec ferme res antiqua alia est nobilior: tamen in re tam clara nominum error manet, utrius populi Horatii, utrius Curiatii fuerint. Auctores utroque trahunt: plures tamen invenio, qui Romanos Horatios vocent, hos ut sequar, inclinat animus. Cum trigeminis agunt reges, ut pro sua quisque patria dimicent ferro: ibi imperium fore, unde victoria fuerit. Nihil recusatur: tempus et locus convenit. Priusquam dimicarent, fœdum ictum inter Romanos et Albanos est his legibus, ut, cujusque populi cives eo certamine vicissent, is alteri populo cum bona pace imperitaret. Fœdera alia aliis legibus, cæterum eodem modo omnia fiunt. Tum ita factum accepimus, nec ullius vetustior fœderis memoria est. Fecialis regem Tullum ita rogavit: *Jubesne me, Rex, cum patre patrato populi Albani fœdus ferire?* jubente rege, *Sagmina*, inquit, *te Rex, posco.* Rex ait, *puram tollito.* Fecialis ex arce graminis herbam puram attullit: postea regem ita rogavit: *Rex, facisne me tu regium nuntium populi Romani Quiritium? vasa, comitesque meos?* Rex respondit: *Quod sine fraude mea populique Romani Quiritium fiat, facio.* Fecialis erat M. Valerius, patrem patratum Sp. Fusium fecit, verbena caput capillos-

que tangens. Pater patratus ad jusjurandum patrandum, id est, sanciendum fit fœdus; multisque id verbis, quæ longo effata carmine non operæ est referre, peragit. Legibus deinde recitatis: *Audi*, inquit, *Jupiter*; *audi, pater patrate populi Albani; audi tu, populus Albanus; ut illa palam prima postrema ex illis tabulis cerave recitata sunt sine dolo malo, utique ea hic hodie rectissime intellecta sunt, illis legibus populus Romanus prior non deficiet. Si prior defexit publico consilio, dolo malo: tu illo die, Jupiter, populum Romanum sic ferito, ut ego hunc porcum hic hodie feriam: tantoque magis ferito, quanto magis potes pollesque.* Id ubi dixit, porcum saxo silice percussit. Sua item carmina Albani suumque jusjurandum per suum dictatorem suosque sacerdotes peregerunt.

Horatiorum cum Curiatiis certamen.

4. Fœdere icto, trigemini, sicut convenerat, arma capiunt. Cum sui utrosque adhortarentur, *Deos patrios, patriam ac parentes, quidquid civium domi, quidquid in exercitu sit, illorum tunc arma, illorum intueri manus*: feroces et suopte ingenio, et pleni adhortantium vocibus, in medium inter duas acies procedunt. Consederant utrinque pro castris duo exercitus, periculi magis præsentis, quam curæ expertes: quippe imperium agebatur, in tam paucorum virtute atque fortuna positum: itaque ergo erecti suspensique in minime gratum spectaculum animo intenduntur. Datur signum, infestisque armis, velut acies, terni juvenes, magnorum exercituum animos gerentes, concurrunt: nec his, nec illis periculum suum; publicum imperium servitiumque obversatur animo, futuraque ea deinde patriæ fortuna, quam ipsi fecissent. Ut primo statim concursu increpuere arma, micantesque fulsere gladii, horror ingens spectantes perstringit: et, neutro inclinata spe, torpe-

bat vox spiritusque. Consertis deinde manibus, cum jam non motus tantum corporum, agitatioque anceps telorum armorumque, sed vulnera quoque et sanguis spectaculo essent: duo Romani, super alium alius, vulneratis tribus Albanis, expirantes corruerunt: ad quorum casum cum conclamasset gaudio Albanus exercitus, Romanas legiones jam spes tota, nondum tamen cura, deseruerat, exanimes vice unius, quem tres Curiatii circumsteterant. Forte is interger fuit, ut universis solus nequaquam par, sic adversus singulos ferox: ergo, ut segregaret pugnam eorum, capessit fugam, ita ratus secuturos, ut quemque vulnere affectum corpus sineret. Jam aliquantum spatii ex eo loco, ubi pugnatum est, aufugerat, cum respiciens videt magnis intervallis sequentes; unum haud procul ab sese abesse: in eum magno impetu rediit. Et, dum Albanus exercitus inclamat Curiatiis, uti opem ferant fratri, jam Horatius, cæso hoste victor, secundam pugnam petebat: tum clamore, qualis ex insperato faventium solet, Romani adjuvant militem suum: et ille defungi prælio festinat. Prius itaque, quam alter, qui nec procul aberat, consequi posset, et alterum Curiatium conficit. Jamque, æquato Marte, singuli supererant; sed nec spe, nec viribus pares: alterum, intactum ferro corpus et geminata victoria, ferocem in certamen tertium dabant: alter, fessum vulnere, fessum cursu trahens corpus, victusque fratrum ante se strage, victori objicitur hosti: nec illud prælium fuit. Romanus exultans, *duos*, inquit, *fratrum manibus dedi*, *tertium causæ belli hujusce*, *ut Romanus Albano imperet*, *dabo*. Male sustinenti arma gladium superne jugulo defigit: jacentem spoliat. Romani ovantes ac gratulantes Horatium accipiunt; eo majore cum gaudio, quo prope metum res fuerat. Ad sepulturam inde suorum nequaquam paribus animis vertuntur; quippe imperio alteri aucti, alteri ditionis alienæ facti. Sepulcra extant, quo quisque loco cecidit: duo Romana uno loco propius Al-

bam, tria Albana Romam versus; sed distantia locis, et ut pugnatum est.

5. Priusquam inde digrederentur, roganti Metto, ex fœdere icto quid imperaret, imperat Tullus, uti juventutem in armis habeat: usurum se eorum opera, si bellum cum Vejentibus foret: ita exercitus inde domos abducti. Princeps Horatius ibat, trigemina spolia præ se gerens: cui soror virgo, quæ desponsa uni ex Curiatiis fuerat, obvia ante portam Capenam fuit: cognitoque super humeros fratris paludamento sponsi, quod ipsa confecerat, solvit crines, et flebiliter nomine sponsum mortuum appellat. Movet feroci juveni animum comploratio sororis in victoria sua tantoque gaudio publico. Stricto itaque gladio, simul verbis increpans, transfigit puellam. *Abi hinc cum immaturo amore ad sponsum*, inquit, *oblita fratrum mortuorum vivique, oblita patriæ. Sic eat, quæcumque Romana lugebit hostem.* Atrox visum id facinus Patribus plebique: sed recens meritum facto obstabat: tamen raptus in jus ad regem. Rex, ne ipse tam tristis ingratique ad vulgus judicii, aut, secundum judicium, supplicii auctor esset, concilio populi advocato, *Duumviros*, inquit, *qui Horatio perduellionem judicent, secundum legem facio.* Lex horrendi carminis erat: *Duumviri perduellionem judicent. Si à Duumviris provocarit, provocatione certato: si vincent, caput obnubito: infelici arbori reste suspendito: verberato vel intra pomœrium, vel extra pomœrium.* Hac lege Duumviri creati, qui se absolvere non rebantur ea lege, ne innoxium quidem, posse, cum condemnassent; tum alter ex his, *P. Horati, tibi perduellionem judico*, inquit. *I, lictor, colliga manus.* Accesserat lictor, injiciebatque laqueum: tum Horatius, auctore Tullo, clemente legis interprete, *provoco*, inquit: ita de provocatione certatum ad populum est. Moti homines sunt in eo judicio, maxime P. Horatio patre proclamante, *se filiam jure cæsum judicare: ni ita esset, patrio*

jure in filium animadversurum fuisse. Orabat deinde, *ne se, quem paulo ante cum egregia stirpe conspexissent, orbum liberis facerent.* Inter hæc senex, juvenem amplexus, spolia Curiatiorum fixa eo loco, qui nunc Pila Horatia appellatur, ostentans, *Hunccine,* ajebat, *quem modo decoratum ovantemque victoria incedentem vidistis, Quirites, eum sub furca vinctum inter verbera et cruciatus videre potestis? quod vix Albanorum oculi tam deforme spectaculum ferre possent. I, lictor, colliga manus, quæ paulo ante armatæ imperium populo Romano pepererunt. I, caput obnube liberatoris urbis hujus: arbori infelici suspende: verbera, vel intra pomœrium, modo inter illa pila et spolia hostium; vel extra pomœrium, modo intra sepulcra Curiatiorum. Quo enim ducere hunc juvenem potestis, ubi non sua decora eum à tanta fœditate supplicii vindicent?* Non tulit populus nec patris lacrymas, nec ipsius parem in omni periculo animum: absolveruntque admiratione magis virtutis, quam jure causæ. Itaque, ut cædes manifesta aliquo tamen piaculo lueretur, imperatum patri, ut filium expiaret pecunia publica. Is, quibusdam piacularibus sacrificiis factis, quæ deinde genti Horatiæ tradita sunt, transmisso per viam tigillo, capite adoperto, velut sub jugum misit juvenem. Id hodie quoque publice semper refectum manet. *Ex lib. I.*

PRIMUM PRÆLIUM IN SAMNITES.

6. Positis omnium aliarum rerum curis, Patres, fecialibus ad res repetendas missis, belloque, quia non redderentur, sollemni more indicto, decreverunt, ut primo quoque tempore de ea re ad populum ferretur: jussuque populi consules ambo cum duobus ab urbe exercitibus profecti, Valerius in Campaniam, Cornelius in Samnium, ille ad montem Gaurum, hic ad Saticulam castra ponunt. Priori Valerio

Samnitium legiones (eo namque omnem belli molem inclinaturam censebant) occurrunt: simul in Campanos stimulabat ira, tam promptos nunc ad ferenda, nunc ad arcessenda adversus se auxilia. Ut verò castra Romana viderunt, ferociter pro se quisque signum duces poscere, affirmare, eadem fortuna Romanum Campano laturum opem, qua Campanus Sidicino tulerit. Valerius, levibus certaminibus, tentandi hostis causa, haud ita multos moratus dies, signum pugnæ proposuit, paucis suos adhortatus: *Ne novum bellum eos novusque hostis terreret: quidquid ab urbe longius proferrent arma, magis magisque in imbelles gentes eos prodire. Ne Sidicinorum Campanorumque cladibus Samnitium æstimarent virtutem: qualescumque inter se certaverint, necesse fuisse alteram partem vinci. Campanos quidem haud dubie magis nimio luxu fluentibus rebus mollitiaque sua, quam vi hostium victos esse. Quid autem esse duo prospera in tot seculis bella Samnitium adversus tot decora populi Romani, qui triumphos pæne plures, quam annos ab urbe condita, numeret? qui omnia circa se, Sabinos, Etruriam, Latinos, Hernicos, Æquos, Volscos, Auruncos, domita armis habeat? qui Gallos, tot præliis cæsos, postremo in mare ac naves fuga compulerit? Cum gloria belli ac virtute sua quemque fretos ire in aciem debere; tum etiam intueri, cujus ductu auspicioque ineunda pugna sit: utrum, qui audiendus dumtaxat magnificus adhortator sit, verbis tantum ferox, operum militarium expers; an qui et ipse tela tractare, procedere ante signa, versari media in mole pugnæ sciat? Facta mea, non dicta vos, milites,* inquit, *sequi volo; nec disciplinam modo, sed exemplum etiam, à me petere. Non factionibus modo, nec per coitiones usitatas nobilibus, sed hac dextra, mihi tres consulatus summamque laudem peperi. Fuit, cum hoc dici poterat: Patricius enim erat, et à liberatoribus patriæ ortus: et eodem anno familia ista*

consulatum, quo urbs hæc consulem, habuit. Nunc jam nobis Patribus vobisque plebejis promiscuus consulatus patet; nec generis, ut ante, sed virtutis est præmium: proinde summum quodque spectate, milites, decus. Non, si mihi novum hoc Corvi cognomen diis auctoribus homines dedistis, Publicolarum vetustum familiæ nostræ cognomen memoria excessit. Semper ego plebem Romanam militiæ domique privatus, in magistratibus parvis magnisque, æque tribunus ac consul, eodem tenore per omnes deinceps consulatus, colo atque colui: nunc, quod instat, diis bene juvantibus, novum atque integrum de Samnitibus triumphum mecum petite.

7. Non alias militi familiarior dux fuit, omnia inter infimos militum haud gravate munia obeundo. In ludo præterea militari, cúm velocitatis viriumque inter se æquales certamina ineunt, comiter facilis vincere ac vinci vultu eodem; nec quemquam aspernari parem, qui se offerret; factis benignus pro re, dictis haud minus libertatis alienæ, quam suæ dignitatis memor: et quo nihil popularius est, quibus artibus petierat magistratus, iisdem gerebat. Itaque universus exercitus, incredibili alacritate adhortationem prosecutus ducis, castris egreditur. Prælium, ut quod maxime unquam, pari spe, utrinque æquis viribus, cum fiducia sui, sine contemptu hostium, commissum est. Samnitibus ferociam augebant novæ res gestæ et paucos ante dies geminata victoria; Romanis contra quadringentorum annorum decora, et conditæ urbi æqualis victoria: utrisque tamen novus hostis curam addebat: pugna indicio fuit, quos gesserint animos: namque ita conflixerunt, ut aliquandiu in neutram partem inclinarent acies. Tum consul, trepidationem injiciendam ratus, quando vi pelli non poterant, equitibus immissis turbare prima signa hostium conatur: quos ubi nequidquam tumultuantes in spatio exiguo volvere turmas vidit, nec posse aperire in hostes

*

viam; revectus ad antesignanos legionum, cum desiluisset ex equo, *Nostrum*, inquit, *peditum illud, milites, est opus*: *agitedum, ut me videritis, quacumque incessero in aciem hostium, ferro viam facientem, sic pro se quisque obvios sternite. Illa omnia, qua nunc erectæ micant hastæ, patefacta strage vastu cernetis.* Hæc dicta dederat, cum equites consulis jussu discurrunt in cornua, legionibus in mediam aciem aperiunt viam. Primus omnium consul invadit hostem; et, cum quo forte contulit gradum, obtruncat. Hoc spectaculo accensi dextra lævaque, ante se quisque, memorandum prælium cient. Stant obnixi Samnites, quamquam plura accipiunt, quam inferunt, vulnera. Aliquandiu jam pugnatum erat: atrox cædes circa signa Samnitium, fuga ab nulla dum parte erat: adeo morte sola vinci destinaverant animis. Itaque Romani, cum et fluere jam lassitudine vires sentirent, et diei haud multum superesset, accensi ira concitant se in hostem. Tum primum referri pedem atque inclinari rem in fugam apparuit; tum capi, occidi Samnis: nec superfuissent multi, ni nox victoriam magis, quam prælium diremisset. Et Romani fatebantur, nunquam cum pertinaciore hoste conflictum: et Samnites, cum quæreretur, quænam prima causa tam obstinatos movisset in fugam? *Oculos sibi Romanorum ardere visos*, ajebant, *vesanosque vultus et furentia ora*: *inde plus, quam ex alia ulla re, terroris ortum*: quem terrorem non pugnæ solum eventu, sed nocturna profectione, confessi sunt. Postremo die vacuis hostium castris Romanus potitur: quo se omnis Campanorum multitudo gratulabunda effudit.

8. Cæterum hoc gaudium magna prope clade in Samnio fœdatum est: nam ab Saticula profectus Cornelius consul exercitum incaute in saltum, cava valle pervium, circaque insessum ab hoste, induxit: nec prius, quam recipi tuto signa non poterant, imminentem capiti hostem vidit. Dum id moræ Samnitibus est,

quoad totum in vallem infimam demitterent agmen, P. Decius tribunus militum conspicit unum editum in saltu collem, imminentem hostium castris, aditu arduum impedito agmini, expeditis haud difficilem. Itaque consuli territo animi, *Videsne tu*, inquit, *A. Corneli*, *cacumen illud supra hostem? Arx illa est spei salutisque nostræ*, *si eam*, *quam cæci reliquere Samnites*, *impigre capimus. Ne tu mihi plus*, *quam unius legionis principes hastatosque*, *dederis: cum quibus ubi evasero in summum*, *perge hinc omni liber metu*, *teque et exercitum serva: neque enim moveri hostis*, *subjectus nobis ad omnes ictus*, *sine sua pernicie poterit. Nos deinde aut fortuna populi Romani*, *aut nostra virtus expediet.* Collaudatus ab consule, accepto præsidio, vadit occultus per saltum; nec prius ab hoste est visus, quam loco, quem petebat, appropinquavit. Inde admiratione paventibus cunctis, cum omnium in se vertisset oculos, et spatium consuli dedit ad subducendum agmen in æquiorem locum, et ipse in summo constitit vertice. Samnites, dum huc illuc signa vertunt, utriusque rei amissa occasione, neque insequi consulem, nisi per eamdem vallem, in qua paulo ante subjectum eum telis suis habuerant, possunt; nec erigere agmen in captum super se ab Decio tumulum. Sed cum ira in hos magis, qui fortunam gerendæ rei eripuerant, tum propinquitas loci atque ipsa paucitas incitat: et nunc circumdare undique collem armatis volunt, ut à consule Decium intercludant; nunc viam patefacere, ut degressos in vallem adoriantur: incertos quid agerent, nox oppressit. Decium primum spes tenuit, cum subeuntibus in adversum collem ex superiore loco se pugnaturum: deinde admiratio incessit, quod nec pugnam inirent, nec, si ab eo consilio iniquitate loci deterrerentur, opere se valloque circumdarent. Tum centurionibus ad se vocatis, *Quænam illa inscitia belli ac pigritia est? aut quonam modo isti ex Sidicinis Campanisque victoriam pepererunt? Huc atque*

illuc signa moveri, ac modo in unum conferri, modo educi videtis: opus quidem incipit nemo, cum jam circumdati vallo potuerimus esse. Tum vero nos similes istorum simus, si diutius hic moremur, qua commodum sit. Agitedum, ite mecum; ut, dum lucis aliquid superest, quibus locis præsidia ponant, qua pateat hinc exitus, exploremus. Hæc omnia sagulo gregali amictus, centurionibus item manipularium militum habitu ductis, ne ducem circumire hostes notarent, perlustravit.

9. Vigiliis deinde dispositis, cæteris omnibus tesseram dari jubet: *ubi secundæ vigiliæ buccina datum signum esset, armati cum silentio ad se convenirent.* Quo ubi, sicut edictum erat, taciti convenerunt, *Hoc silentium, milites*, inquit, *omisso militari assensu, in me audiendo servandum est: ubi sententiam meam vobis peregero, tum, quibus eadem placebunt, in dextram partem taciti transibitis: quæ pars major erit, eo stabitur consilio. Nunc, quæ mente agitem, audite. Non fuga delatos, nec inertia relictos hic vos circumvenit hostis: virtute cepistis locum; virtute hinc, oportet, evadatis. Veniendo huc, exercitum egregium populi Romani servastis; erumpendo hinc, vosmet ipsos servate: digni estis, qui pauci pluribus opem tuleritis, ipsi nullius auxilio egueritis. Cum eo hoste res est, qui hesterno die delendi omnis exercitus fortuna per socordiam usus non sit; hunc tam opportunum collem imminentem capiti suo non ante viderit, quam captum à nobis; nos tam paucos tot ipsi millibus hominum nec ascensu arcuerint, nec tenentes locum, cum diei tantum superesset, vallo circumdederint: quem videntem ac vigilantem sic eluseritis, sopitum, oportet, fallatis; immo necesse est. In eo enim loco res sunt nostræ, ut vobis ego magis necessitatis vestræ index, quam consilii auctor sim: neque enim, maneatis, an abeatis hinc, deliberari potest; cum, præter arma et animos armorum memores, nihil vobis fortuna reliqui fecerit,*

fameque et siti moriendum sit, si plus, quam viros ac Romanos decet, ferrum timeamus. Ergo una est salus, erumpere hinc atque abire: id aut interdiu aut nocte faciamus, oportet. Ecce autem aliud minus dubium: quippe si lux expectetur, quæ spes est, non vallo perpetuo fossaque nos septurum hostem? qui nunc corporibus suis subjectis undique cinxerit, ut videtis, collem. Atqui, si nox opportuna est eruptioni, sicut est, hæc profecto noctis aptissima hora est. Signo secundæ vigiliæ convenistis, quod tempus mortales somno altissimo premit: per corpora sopita vadetis, vel silentio incautos fallentes, vel sentientibus clamore subito pavorem injecturi. Me modo sequimini, quem secuti estis: ego eamdem, quæ duxit huc, sequar fortunam. Quibus hæc salutaria videntur, agitedum, in dextram partem pedibus transite.

10. Omnes transierunt, vadentemque per intermissa custodiis loca Decium secuti sunt. Jam evaserant media castra; cum superscandens vigilum strata somno corpora miles offenso scuto præbuit sonitum: quo excitatus vigil cum proximum movisset, erectique alios concitarent, ignari cives an hostes essent, præsidium erumperet, an consul castra cepisset: Decius, cum non fallerent, clamorem tollere jussis militibus, torpidos somno insuper pavore exanimat; quo præpediti, nec arma impigre capere, nec obsistere, nec insequi poterant. Inter trepidationem tumultumque Samnitium, præsidium Romanum, obviis custodibus cæsis, ad castra consulis pervadit. Aliquantum supererat noctis, jamque in tuto videbantur esse; cum Decius, *Macti virtute*, inquit, *milites Romani, este: vestrum iter ad reditum omnia secula laudibus ferent. Sed ad conspiciendam tantam virtutem luce ac die opus est, nec vos digni estis, quos cum tanta gloria in castra reduces silentium ac nox tegat: hic lucem queti opperiamur.* Dictis obtemperatum: atque ubi primum illuxit, præmisso nuntio ad consulem in castra, ingenti gaudio concitantur:

et, tessera data, incolumes reverti, qui sua corpora pro salute omnium haud dubio periculo objecissent, pro se quisque obviam effusi laudant, gratulantur, singulos universosque servatores suos vocant: diis laudes gratesque agunt, Decium in cœlum ferunt. Hic Decii castrensis triumphus fuit, incedentis per media castra cum armato præsidio, conjectis in eum omnium oculis, et omni honore tribunum consuli æquantibus. Ubi ad prætorium ventum est, consul classico ad concionem convocat: orsusque meritas Decii laudes, interfante ipso Decio, distulit concionem: qui auctor omnia posthabendi, dum occasio in manibus esset, perpulit consulem, ut hostes, et nocturno pavore attonitos, et circa collem castellatim dissipatos, aggrederetur: credere etiam aliquos, ad se sequendum emissos, per saltum vagari. Jussæ legiones arma capere: egressæque castris, cum per exploratores notior jam saltus esset, via patentiore ad hostem ducuntur: quem incautum improviso adortæ, cum palati passim Samnitium milites, plerique inermes, nec coire in unum, nec arma capere, nec recipere intra vallum se possent, paventem primum in castra compellunt: deinde castra ipsa, turbatis stationibus, capiunt. Perfertur circa collem clamor: fugatque ex suis quemque præsidiis: ita magna pars absenti hosti cessit: quos intra vallum egerat pavor (fuere autem ad triginta millia) omnes cæsi; castra direpta.

11. Ita rebus gestis, consul, advocata concione, P. Decii non cœptas solum ante, sed cumulatas nova virtute laudes peragit: et præter militaria alia dona, aurea corona eum et centum bubus, eximioque uno albo opimo auratis cornibus, donat. Milites, qui in præsidio simul fuerant, duplici frumento in perpetuum, in præsentia singulis bubus binisque privis tunicis donati. Secundum consulis donationem legiones gramineam coronam obsidionalem, clamore donum approbantes, Decio imponunt: altera corona, ejusdem ho-

noris index à præsidio suo imposita est. His decoratus insignibus, bovem eximium Marti immolavit; centum boves militibus dono dedit, qui secum in expeditione fuerant: iisdem militibus legiones libras farris et sextarios vini contulerunt: omniaque ea ingenti alacritate per clamorem militarem, indicem omnium assensus, gerebantur. Tertia pugna ad Suessulam commissa est: qua fugatus à M. Valerio Samnitium exercitus omni robore juventutis domo accito, certamine ultimo fortunam experiri statuit. Ab Suessula nuntii trepidi Capuam, inde equites citati ad Valerium consulem, opem oratum, veniunt. Confestim signa mota: relictisque impedimentis castrorum valido præsidio, raptim agitur agmen: nec procul ab hoste locum perexiguum (ut quibus, præter equos, cæterorum jumentorum calonumque turba abesset) castris cepit. Samnitium exercitus, velut haud ulla mora pugnæ futura esset, aciem instruit: deinde, postquam nemo obvius ibat, infestis signis ad castra hostium succedit: ibi ut militem in vallo vidit, missique ab omni parte exploratum, quam in exiguum orbem contracta castra essent, paucitatem inde hostium colligentes, retulerunt; fremere omnis acies, complendas esse fossas scindendumque vallum, et in castra irrumpendum: transactumque ea temeritate bellum foret, ni duces continuissent impetum militum. Cæterum, quia multitudo sua commeatibus gravis, et prius sedendo ad Suessulam, et tum certaminis mora, haud procul ab rerum omnium inopia esset; placuit, dum inclusus paveret hostis, frumentatum per agros militem duci: interim et Romano, qui expeditus, quantum humeris inter arma geri posset frumenti, secum attulisset, defutura omnia. Consul palatos per agros cum vidisset hostes, stationes infrequentes relictas, paucis milites adhortatus, ad castra oppugnanda ducit: quæ cum primo clamore atque impetu cepisset, pluribus hostium in tentoriis suis, quam in portis valloque, cæsis, signa captiva in unum locum

conferri jussit; relictisque duabus legionibus custodiæ et præsidii causa, gravi edicto monitis, ut, donec ipse revertisset, præda abstinerent; profectus agmine instructo, cum præmissus eques velut indagine dissipatos Samnites ageret, cædem ingentem fecit: nam neque quo signo coirent inter se, neque, utrum castra peterent, an longiorem intenderent fugam, territis constare poterat. Tantumque fugæ ac formidinis fuit, ut ad quadraginta millia scutorum, nequaquam tot cæsis, et signa militaria cum iis, quæ in castris capta erant, ad centum septuaginta ad consulem deferrentur. Tum in castra hostium reditum: ibique omnis præda militi data. *Ex lib. VII.*

CAUDINUM PRÆLIUM.

12. Sequitur hunc annum nobilis clade Romana Caudina pax, T. Veturio Calvino, Sp. Postumio consulibus. Samnites eo anno imperatorem C. Pontium, Herennii filium, habuerunt, patre longe prudentissimo natum, primum ipsum bellatorem ducemque. Is, ubi legati, qui ad dedendas res missi erant, pace infecta redierunt, *Ne nihil actum*, inquit, *hac legatione censeatis, expiatum est, quidquid ex fœdere rupto irarum in nos cœlestium fuit. Satis scio, quibuscumque diis cordi fuit, subigi nos ad necessitatem dedendi res, quæ à nobis ex fœdere repetitæ fuerant, iis non fuisse cordi tam superbe ab Romanis fœderis expiationem spretam. Quid enim ultra fieri ad placandos deos mitigandosque homines potuit, quam quod nos fecimus? Res hostium in præda captas, quæ belli jure nostræ videbantur, remisimus: auctores belli, quia vivos non potuimus, perfunctos jam fato dedidimus: bona eorum, ne quid ex contagione noxæ remaneret penes nos, Romam portavimus. Quid ultra tibi, Romane, quid fœderi, quid diis arbitris debeo? quem tibi tuarum irarum, quem meorum suppliciorum judicem feram? ne-*

minem, neque populum, neque privatum fugio. Quod si nihil cum potentiore juris humani relinquitur inopi, at ego ad deos vindices intolerandæ superbiæ confugiam et precabor, ut iras suas vertant in eos, quibus non suæ redditæ res, non alienæ accumulatæ satis sint; quorum sævitiam non mors noxiorum, non deditio exanimatorum corporum, non bona sequentia domini deditionem exsatient. Placari nequeunt, nisi hauriendum sanguinem laniandaque viscera nostra præbuerimus. Justum est bellum, Samnites, quibus necessarium; et pia arma, quibus nulla nisi in armis relinquitur spes. Proinde, cum rerum humanarum maximum momentum sit, quam propitiis rem, quam adversis agant diis, pro certo habete, priora bella adversus deos magis, quam homines gessisse; hoc, quod instat, ducibus ipsis diis gesturos.

13. Hæc non læta magis, quam vera vaticinatus, exercitu educto, circa Caudium castra, quam potest occultissime, locat: inde ad Calatiam, ubi jam consules Romanos castraque esse audiebat, milites decem pastorum habitu mittit: pecoraque diversos, alium alibi, haud procul Romanis pascere jubet præsidiis: ubi inciderint in prædatores, ut idem omnibus sermo constet, *legiones Samnitium in Apulia esse, Luceriam omnibus copiis circumsedere: nec procul abesse, quin vi capiant.* Jam is etiam rumor ante de industria vulgatus venerat ad Romanos: sed fidem auxere captivi, eo maxime, quod sermo inter omnes congruebat. Haud erat dubium, quin Lucerinis opem Romanus ferret, bonis ac fidelibus sociis; simul ne Apulia omnis ad præsentem terrorem deficeret: ea modo, qua irent, consultatio fuit. Duæ ad Luceriam ferebant viæ; altera præter oram superi maris patens apertaque, sed quanto tutior, tanto fere longior; altera per Furculas Caudinas brevior. Sed ita natus locus est: saltus duo alti angusti silvosique sunt, montibus circa perpetuis inter se juncti: jacet inter eos satis patens clausus in

medio campus, herbidus aquosusque, per quem medium iter est. Sed ante, quam venias ad eum, intrandæ primæ angustiæ sunt, et aut eadem, qua te insinuaveris, retro via repetenda; aut, si ire porro pergas, per alium saltum arctiorem impeditioremque evadendum. In eum campum via alia per cavam rupem Romani, demisso agmine, cum ad alias angustias protinus pergerent, septas dejectu arborum, saxorumque ingentium objacentem molem invenere: cum fraus hostilis apparuisset, præsidium etiam in summo saltu conspicitur. Citati inde retro, qua venerant, pergunt repetere viam: eam quoque clausam sua obice armisque inveniunt: sistunt inde gradum sine ullius imperio: stuporque omnium animos, ac velut torpor quidam insolitus membra tenet: intuentesque alii alios (cum alterum quisque compotem magis mentis ac consilii ducerent) diu immobiles silent. Deinde ubi prætoria consulum erigi videre, et expedire quosdam utilia operi, quamquam ludibrio fore munientes, perditis rebus ac spe omni adempta, cernebant; tamen, ne culpam malis adderent, pro se quisque, nec hortante ullo nec imperante, ad muniendum versi, castra propter aquam vallo circumdant; sua ipsi opera laboremque irritum (præterquam quod hostes superbe increpabant) cum miserabili confessione eludentes. Ad consules mœstos, ne advocantes quidem in consilium (quando nec consilio nec auxilio locus esset) sua sponte legati ac tribuni conveniunt: militesque ad prætorium versi, opem, quam vix dii immortales ferre poterant, ab ducibus exposcunt.

14. Querentes magis, quam consultantes, nox oppressit, cum pro ingenio quisque fremerent: alius, *per obices viarum*; alius, *per adversa montium, per silvas, qua ferri arma poterunt, eamus. Modo ad hostem pervenire liceat, quem per annos jam prope triginta vincimus; omnia æqua et plana erunt Romano, in perfidum Samnitem pugnanti*: alius, *Quo, aut qua ea-*

mus? Num montes moliri sede sua paramus? Dum hæc imminebunt juga, qua tu ad hostem venies? Armati, inermes, fortes, ignavi, pariter omnes capti atque victi sumus. Ne ferrum quidem ad bene moriendum oblaturus est hostis: sedens bellum conficiet. His invicem sermonibus, qua cibi, qua quietis immemor, nox traducta est. Ne Samnitibus quidem consilium in tam lætis suppetebat rebus: itaque universi Herennium Pontium, patrem imperatoris, per litteras consulendum censent. Jam is gravis annis, non militaribus solum, sed civilibus quoque abscesserat muneribus: in corpore tamen affecto vigebat vis animi consiliique. Is, ubi accepit, ad Furculas Caudinas inter duos saltus clausos esse exercitus Romanos, consultus ab nuntio filii, censuit, omnes inde quam primum inviolatos dimittendos: quæ ubi spreta sententia est, iterumque, eodem remeante nuntio, consulebatur; censuit, ad unum omnes interficiendos. Quæ ubi tam discordia inter se, velut ex ancipiti oraculo, responsa data sunt, quamquam filius ipse in primis jam animum quoque patris consenuisse in affecto corpore rebatur; tamen consensu omnium victus est, ut ipsum in consilium acciret. Nec gravatus senex, plaustro in castra dicitur advectus, vocatusque in consilium ita ferme locutus esse, ut nihil sententiæ suæ mutaret; causas tantum adjiceret: *Priore se consilio, quod optimum duceret, cum potentissimo populo per ingens beneficium perpetuam firmare pacem amicitiamque: altero consilio in multas ætates, quibus, amissis duobus exercitibus, haud facile receptura vires Romana res esset, bellum differre: tertium nullum consilium esse.* Cum filius aliique principes percontando exequerentur, *Quid si media via consilii caperetur; ut et dimitterentur incolumes, et leges iis jure belli victis imponerentur? Ista quidem sententia*, inquit, *ea est, quæ neque amicos parat, neque inimicos tollit. Servate modo, quos ignominia irritaveritis: ea est Romana gens, quæ victa quiescere nesciat. Vivet semper*

in pectoribus illorum, quidquid istuc præsens necessitas iusserit; neque eos ante multiplices pœnas expetitas à vobis quiescere sinet.

15. Neutra sententia accepta. Herennius domum è castris est avectus. Et in castris Romanis cum frustra multi conatus ad erumpendum capti essent, et jam omnium rerum inopia esset; victi necessitate legatos mittunt, qui primum pacem æquam peterent: si pacem non impetrarent, uti provocarent ad pugnam. Tum Pontius, *debellatum esse*, respondit: *et, quoniam ne victi quidem ac capti fortunam fateri scirent, inermes cum singulis vestimentis sub jugum missurum: alias conditiones pacis æquas victis ac victoribus fore; si agro Samnitium decederetur, coloniæ abducerentur, suis deinde legibus Romanum ac Samnitem æquo fœdere victurum. His conditionibus paratum se esse fœdus cum consulibus ferire: si quid eorum displiceat, legatos redire ad se* vetuit. Hæc cum legatio renuntiaretur, tantus gemitus omnium subito exortus est, tantaque mœstitia incessit, ut non gravius accepturi viderentur, si nuntiaretur, omnibus eo loco mortem oppetendam esse. Cum diu silentium fuisset, nec consules aut pro fœdere tam turpi, aut contra fœdus tam necessarium hiscere possent; tum L. Lentulus, qui tum princeps legatorum virtute atque honoribus erat, *Patrem meum*, inquit, *consules*, *sæpe audivi memorantem*, *se in Capitolio unum non fuisse auctorem senatui redimendæ auro à Gallis civitatis, quando nec fossa, valloque ab ignavissimo ad opera ac muniendum hoste clausi essent; et erumpere si non sine periculo magno, tamen sine certa pernicie possent. Quod si, ut illis decurrere ex Capitolio armatis in hostem licuit (quo sæpe modo obsessi in obsidentes eruperunt) ita nobis æquo aut iniquo loco dimicandi tantummodo cum hoste copia esset; non mihi paterni animi indoles in consilio dando deesset. Equidem mortem pro patria præclaram esse fateor: et me vel devovere pro populo Romano legio-*

nibusque, vel in medios me immittere hostes paratus sum. Sed hic patriam video, hic quidquid Romanorum legionum est: quæ, nisi pro se ipsis ad mortem ruere volunt, quid habent, quod morte sua servent? Tecta urbis, dicat aliquis, et mœnia, et eam turbam, à qua urbs incolitur: immo, hercule, produntur ea omnia, deleto hoc exercitu, non servantur. Quis enim ea tuebitur? Imbellis videlicet atque inermis multitudo? tam, hercule, quam à Gallorum impetu defendit. An à Vejis exercitum Camillumque ducem implorabunt? His omnes spes opesque sunt, quas servando patriam servamus: dedendo ad necem, patriam deserimus ac prodimus. At fœda atque ignominiosa deditio est. Sed ea caritas patriæ est, ut tam ignominia eam, quam morte nostra, si opus sit, servemus. Subeatur ergo ista, quantacumque est, indignitas; et pareatur necessitati, quam ne dii quidem superant. Ite, consules, redimite armis civitatem, quam auro majores vestri redemerunt.

16. Consules profecti ad Pontium in colloquium, cum de fœdere victor agitaret, negarunt injussu populi fœdus fieri posse: nec sine fecialibus cærimoniaque alia solemni. Itaque non, ut vulgo credunt, Claudiusque etiam scribit, fœdere pax Caudina, sed per sponsionem, facta est. Quid enim aut sponsoribus in fœdere opus esset aut obsidibus, ubi precatione res transigitur? *per quem populum fiat, quo minus legibus dictis stetur, ut eum ita Jupiter feriat, quemadmodum à fecialibus porcus feriatur.* Spoponderunt consules, legati, quæstores, tribuni militum; nominaque omnium, qui spoponderunt, exstant: ubi, si ex fœdere acta res esset, præterquam duorum fecialium, non exstarent: et propter necessariam fœderis dilationem obsides etiam sexcenti equites imperati, qui capite luerent, si pacto non staretur. Tempus inde statutum tradendis obsidibus exercituque inermi mittendo. Redintegravit luctum in castris consulum adventus, ut vix ab iis abstinerent manus, quorum temeritate

in eum locum deducti essent; quorum ignavia fœdius inde, quam venissent, abituri: illis non ducem locorum, non exploratorem fuisse: belluarum modo cæcos in foveam missos. Alii alios intueri, contemplari arma mox tradenda, et inermes futuras dextras, obnoxiaque corpora hosti: proponere sibimet ipsi ante oculos jugum hostile, et ludibria victoris, et vultus superbos, et per armatos inermium iter: inde fœdi agminis miserabilem viam, per sociorum urbes reditum in patriam ac parentes, quo sæpe ipsi majoresque eorum triumphantes venissent. Se solos sine vulnere, sine ferro, sine acie victos: sibi non stringere licuisse gladios, non manum cum hoste conferre: sibi nequidquam arma, nequidquam vires, nequidquam animos datos. Hæc frementibus hora fatalis ignominiæ advenit, omnia tristiora experiundo factura, quam quæ præceperant animis. Jam primum cum singulis vestimentis inermes extra vallum exire jussi, et primi traditi obsides, atque in custodiam abducti. Tum à consulibus abire lictores jussi, paludamentaque detracta, tantam inter ipsos, qui paulo ante eos execrantes, dedendos lacerandosque censuerant, miserationem fecit, ut, suæ quisque conditionis oblitus, ab illa deformatione tantæ majestatis, velut ab nefando spectaculo, averteret oculos.

17. Primi consules prope seminudi sub jugum missi: tum, ut quisque gradu proximus erat, ita ignominiæ objectus: tum deinceps singulæ legiones: circumstabant armati hostes, exprobrantes eludentesque: gladii etiam plerisque intentati: et vulnerati quidam necatique, si vultus eorum indignitate rerum acrior victorem offendisset: ita traducti sub jugum, et, quod pæne gravius erat, per hostium oculos: cum è saltu evasissent, etsi, velut ab inferis extracti, tum primum lucem aspicere visi sunt; tamen ipsa lux ita deforme intuentibus agmen omni morte tristior fuit. Itaque, cum ante noctem Capuam pervenire possent;

incerti de fide sociorum, et quod pudor præpediebat, circa viam haud procul Capua omnium egeni corpora humi prostraverunt. Quod ubi est Capuam nuntiatum, evicit miseratio justa sociorum superbiam ingenitam Campanis: confestim insignia sua consulibus, fasces, lictores, arma, equos, vestimenta, commeatus militibus benigne mittunt: et venientibus Capuam cunctus senatus populusque, obviam egressi, justis omnibus hospitalibus, privatisque et publicis funguntur officiis: neque illis sociorum comitas, vultusque benigni, et alloquia non modo sermonem elicere, sed ne, ut oculos quidem attollerent, aut consolantes amicos contra intuerentur, efficere poterant: adeo super mœrorem pudor quidam fugere colloquia et cœtus hominum cogebat. Postero die cum juvenes nobiles, missi à Capua, ut proficiscentes ad finem Campanum prosequerentur, revertissent; vocatique in curiam percontantibus majoribus natu, *multo sibi mœstiores et abjectioris animi visos*, referrent; *adeo silens, ac prope mutum agmen incessisse: tacere indolem illam Romanam, ablatosque cum armis animos: non reddere salutem, non salutantibus dare responsum, non hiscere quemquam præ metu potuisse, tanquam ferentibus adhuc cervicibus jugum, sub quo emissi essent. Habere Samnites victoriam, non præclaram solum, sed etiam perpetuam: cepisse enim eos non Romam, sicut ante Gallos, sed, quod multo bellicosius fuerit, Romanam virtutem ferociamque.*

18. Cum hæc dicerentur audirenturque, et deploratum pæne Romanum nomen in concilio sociorum fidelium esset; dicitur Ofilius Calavius, Ovii filius, clarus genere factisque, tum etiam ætate verendus, longe aliter se habere rem dixisse: *Silentium illud obstinatum, fixosque in terram oculos, et surdas ad omnia solatia aures, et pudorem intuendæ lucis, ingentem molem irarum ex alto animo cientis indicia esse; aut Romanos se ignorare ingenia, aut silentium illud Samnitibus flebiles*

brevi clamores gemitusque excitaturum; Caudinæque pacis aliquanto Samnitibus, quam Romanis tristiorem memoriam fore. Quippe suos quemque eorum animos habiturum, ubicumque congressuri sint : saltus Caudinos non ubique Samnitibus fore. Jam Romæ etiam sua infamis clades erat. Obsessos primum audierunt: tristior deinde ignominiosæ pacis magis, quam periculi nuntius fuit. Ad famam obsidiones delectus haberi cœptus erat: dimissus deinde auxiliorum apparatus, postquam deditionem tam fœde factam acceperunt: extemploque sine ulla publica auctoritate consensum in omnem formam luctus est. Tabernæ circa forum clausæ, justitiumque in foro sua sponte cœptum prius, quam indictum : lati clavi, annuli aurei positi: pæne mœstior exercitu ipso civitas esse: nec ducibus solum atque auctoribus sponsoribusque pacis irasci, sed innoxios etiam milites odisse, et negare urbe tectisque accipiendos. Quam concitationem animorum fregit adventus exercitus, etiam iratis miserabilis: non enim tanquam in patriam revertentes ex insperato incolumes, sed captorum habitu vultuque ingressi sero in urbem, ita se in suis quisque tectis abdiderunt, ut postero atque insequentibus diebus nemo eorum forum aut publicum aspicere vellet. Consules, in privato abditi, nihil pro magistratu agere, nisi quod expressum senatusconsulto est, ut dictatorem dicerent comitiorum causa. Q. Fabium Ambustum dixerunt, et P. Ælium Petum magistrum equitum: quibus vitio creatis, suffecti M. Æmilius Papus dictator, L. Valerius Flaccus magister equitum. Nec per eos comitia habita : et, quia tædebat populum omnium magistratuum ejus anni, res ad interregnum rediit. Interreges Q. Fabius Maximus, M. Valerius Corvus: is consules creavit Q. Publilium Philonem et L. Papirium Cursorem iterum, haud dubio consensu civitatis, quod nulli ea tempestate duces clariores essent.

19. Quo creati sunt die, eo (sic enim placuerat

Patribus) magistratum inierunt, solemnibusque senatusconsultis perfectis, de pace Caudina retulerunt: et Publilius, penes quem fasces erant, *Dic Sp. Postumi*, inquit. Qui ubi surrexit, eodem illo vultu, quo sub jugum missus erat, *Haud sum ignarus*, inquit, *consules, ignominiæ, non honoris causa me primum excitatum jussumque dicere, non tanquam senatorem, sed tanquam reum qua infelicis belli, qua ignominiosæ pacis. Ego tamen, quando neque de noxa nostra neque de pœna retulistis, omissa defensione, quæ non difficillima esset apud haud ignaros fortunarum humanarum necessitatumque, sententiam de eo, de quo retulistis, paucis peragam: quæ sententia testis erit, mihine, an legionibus vestris pepercerim, cum me seu turpi seu necessaria sponsione obstrinxi. Qua tamen, quando injussu populi facta est, non tenetur populus Romanus; nec quidquam ex ea, præterquam corpora nostra debentur Samnitibus. Dedamur per feciales nudi vinctique: exsolvamus religione populum, si qua obligavimus; ne quid divini humanive obstet, quo minus justum piumque de integro ineatur bellum. Interea consules exercitum scribere, armare, educere placet; nec prius ingredi hostium fines, quam omnia justa in deditionem nostram perfecta erunt. Vos, dii immortales, precor quæsoque, si vobis non fuit cordi, Sp. Postumium, T. Veturium consules cum Samnitibus prospere bellum gerere; at vos satis habeatis, vidisse nos sub jugum missos, vidisse sponsione infami obligatos, videre nudos vinctosque hostibus deditos, omnem iram hostium nostris capitibus excipientes. Novos consules legionesque Romanas ita cum Samnite gerere bellum velitis, ut omnia ante nos consules bella gesta sunt.* Quæ ubi dixit, tanta simul admiratio miseratioque viri incessit omnes, ut modo vix credere, illum eundem esse Sp. Postumium, qui auctor tam fœdæ pacis fuisset: modo miserarentur, quod vir talis etiam præcipuum apud hostes supplicium passurus esset ob iram diremptæ pacis. Cum omnes, laudi-

bus modo prosequentes virum, in sententiam ejus pedibus irent; tentata paulisper intercessio est ab L. Livio et Q. Mælio, tribunis plebis: qui, *neque exsolvi religione populum*, ajebant, *deditione sua, nisi omnia Samnitibus, qualia apud Caudium fuissent, restituerentur: neque se pro eo, quod, spondendo pacem, servassent exercitum populi Romani, pœnam ullam meritos esse; neque ad extremum, cum sacrosancti essent, dedi hostibus violarive posse.*

20. Tum Postumius, *Interea dedite*, inquit, *profanos nos, quos salva religione potestis: dedetis deinde et istos sacrosanctos, cum primum magistratu abierint; sed, si me audiatis, prius, quam dedantur, his in comitio virgis cæsos, hanc jam ut intercalatæ pœnæ usuram habeant. Nam quod deditione nostra negant exsolvi religione populum, id istos magis, ne dedantur, quam quia ita se res habeat, dicere, quis adeo juris fecialium expers est, qui ignoret? Neque ego inficias eo, Patres Conscripti, tam sponsiones quam fœdera sancta esse apud eos homines, apud quos juxta divinas religiones fides humana colitur: sed injussu populi nego quidquam sanciri posse, quod populum teneat. An, si eadem superbia, qua sponsionem istam expresserunt nobis Samnites, coegissent nos verba legitima dedentium urbes nuncupare, deditum populum Romanum vos tribuni diceretis, et hanc urbem, templa, delubra, fines, aquas, Samnitium esse? Omitto deditionem, quoniam de sponsione agitur: quid tandem, si spopondissemus, urbem hanc relicturum populum Romanum? si incensurum? si magistratus, si senatum, si leges non habiturum? si sub regibus futurum? Dii meliora, inquis! atqui non indignitas rerum sponsionis vinculum levat. Si quid est, in quo obligari populus possit, in omnia potest: et ne illud quidem, quod quosdam forsitan moveat, refert, consul, an dictator, an prætor spoponderit. Et hoc ipsi etiam Samnites judicaverunt, quibus non fuit satis consules spon-*

dere, sed legatos, quæstores, tribunos militum spondere coegerunt. Nec à me nunc quisquam quæsiverit, quid ita spoponderim? cum id nec consulis jus esset; nec illis spondere pacem, quæ mei non erat arbitrii, nec pro vobis, qui nihil mandaveratis, possem. Nihil ad Caudium, Patres Conscripti, humanis consiliis gestum est. Dii immortales et vestris et hostium imperatoribus mentem ademerunt: nec nos in bello satis cavimus; et illi male partam victoriam male perdiderunt, dum vix locis, quibus vicerant, credunt, dum quacumque conditione arma viris in arma natis auferre festinant. An, si sana mens fuisset, difficile illis fuit, dum senes ab domo ad consultandum arcessunt, mittere Romam legatos? cum senatu, cum populo, de pace ac fœdere agere? Tridui iter expeditis erat: interea in induciis res fuisset; donec ab Roma legati aut victoriam illis certam, aut pacem afferrent: ea demum sponsio esset, quam populi jussu spopondissemus. Sed neque vos tulissetis, nec nos spopondissemus: nec fas fuit alium rerum exitum esse, quam ut illi, velut somnio lætiore, quam quod mentes eorum capere possent, nequidquam eluderentur: et nostrum exercitum eadem, quæ impedierat, fortuna expediret: vanam victoriam vanior irritam faceret pax: sponsio interponeretur, quæ neminem, præter sponsorem, obligaret. Quid enim vobiscum, Patres Conscripti, quid cum populo Romano actum est? quis vos appellare potest? quis se à vobis dicere deceptum? hostis? an civis? Hosti nihil spopondistis: civem neminem spondere pro vobis jussistis. Nihil ergo vobis nec nobiscum est, quibus nihil mandastis; nec cum Samnitibus, cum quibus nihil egistis. Samnitibus sponsores nos sumus, rei satis locupletes, in id, quod nostrum est; in id, quod præstare possumus, corpora nostra et animos; in hæc sæviant, in hæc ferrum, in hæc iras acuant. Quod ad tribunos attinet, consulite, utrum præsens deditio eorum fieri possit, an in diem differatur: nos interim,

T. Veturi, vosque cæteri, vilia hæc capita luendæ sponsionis feramus, et nostro supplicio liberemus Romana arma.

21. Movit Patres Conscriptos tum causa, tum auctor; nec cæteros solum, sed tribunos etiam plebis, ut se in senatus dicerent fore potestate. Magistratu inde se extemplo abdicaverunt, traditique fecicialibus cum cæteris Caudium ducendi. Hoc facto senatusconsulto, lux quædam affulsisse civitati visa est. Postumius in ore erat; eum laudibus ad cœlum ferebant: devotioni P. Decii consulis, aliis claris facinoribus æquabant. *Emersisse civitatem ex obnoxia pace illius consilio et opera: ipsum se cruciatibus et hostium iræ offerre, piaculaque pro populo Romano dare.* Arma cuncti spectant et bellum. *En unquam futurum, ut congredi armatis cum Samnite liceat?* In civitate, ira odioque ardente, delectus prope omnium voluntariorum fuit: rescriptæ ex eodem milite novæ legiones, ductusque ad Caudium exercitus. Prægressi feciales, ubi ad portam venere, vestem detrahi pacis sponsoribus jubent, manus post tergum vinciri. Cum apparitor verecundia majestatis Postumium laxè vinciret, *Quin tu*, inquit, *adducis lorum, ut justa fiat deditio?* Tum, ubi in cœtum Samnitium et ad tribunal ventum Pontii est, A. Cornelius Arvina fecialis ita verba fecit: *Quandoque hicce homines injussu populi Romani Quiritium fœdus ictum iri spoponderunt, atque ob eam rem noxam nocuerunt; ob eam rem, quo populus Romanus scelere impio sit solutus, hosce homines vobis dedo.* Hæc dicenti feciali Postumius genu femur, quanta maxime poterat vi, perculit, et clara voce ait, *se Samnitem civem esse, illum legatum; fecialem à se contra jus gentium violatum; eo justius bellum gesturos.*

22. Tum Pontius, *nec ego istam deditionem accipiam*, inquit, *nec Samnites ratam habebunt. Quin tu, Sp. Postumi, si deos esse censes, aut omnia irrita facis, aut pacto stas? Samniti populo omnes, quos in potesta-*

te habuit, aut pro eis pax debetur. Sed quid ego te appello, qui te captum victori, cum qua potes fide, restituis? Populum Romanum appello; quem si sponsionis ad Furculas Caudinas factæ pænitet, restituat legiones intra saltum, quo septæ fuerunt. Nemo quemquam deceperit: omnia pro infecto sint: recipiant arma, quæ per pactionem tradiderunt: redeant in castra sua: quidquid pridie habuerunt, quam in colloquium est ventum, habeant: tum bellum et fortia consilia placeant, tunc sponsio et pax repudietur. Ea fortuna, iis locis, quæ ante pacis mentionem habuimus, geramus bellum: nec populus Romanus consulum sponsionem, nec nos fidem populi Romani accusemus. Nunquamne causa deficiet, cur victi pacto non stetis? Obsides Porsenæ dedistis; furto eos subduxistis: auro civitatem à Gallis redemistis; inter accipiendum aurum cæsi sunt: pacem nobiscum pepigistis, ut legiones vobis captas restitueremus; eam pacem irritam facitis, et semper aliquam fraudi speciem juris imponitis. Non probat populus Romanus ignominiosa pace legiones servatas? pacem sibi habeat, legiones captas victori restituat: hoc fide, hoc fœderibus, hoc fecialibus cæremoniis dignum erat. Ut tu quidem, quod petisti, per pactionem habeas, tot cives incolumes; ego pacem, quam hosti tibi remittendo pactus sum, non habeam: hoc tu, A. Corneli, hoc vos, feciales, juris gentibus dicitis? Ego vero istos, quos dedi simulatis, nec accipio, nec dedi arbitror; nec moror, quo minus in civitatem obligatam sponsione commissa, iratis omnibus diis, quorum eluditur numen, redeant. Gerite bellum, quando Sp. Postumius modo legatum fecialem genu perculit. Ita dii credent, Samnitem civem Postumium, non civem Romanum esse, et à Samnite legatum Romanum violatum: eo vobis justum in nos factum esse bellum. Hæc ludibria religionum non pudere in lucem proferre? et vix pueris dignas ambages senes ac consulares fallendæ fidei exquirere? I, lictor, deme vin-

cla Romanis: moratus sit nemo, quo minus, ubi visum fuerit, abeant. Et illi quidem, forsitan et publica, sua certe liberata fide, ab Caudio in castra Romana inviolati redierunt. *Ex lib. IX.*

PUGNA CUM GALLIS ET SAMNITIBUS.

23. Consules ad hostes, transgresso Apennino, in agrum Sentinatem pervenerunt. Ibi quatuor millium ferme intervallo castra posita. Inter hostes deinde consultationes habitæ: atque ita convenit, ne unis castris miscerentur omnes, neve in aciem descenderent simul. Samnitibus Galli, Etruscis Umbri adjecti: dies indicta pugnæ: Samnitibus Gallisque delegata pugna: inter ipsum certamen Etrusci Umbrique jussi castra Romana oppugnare. Hæc consilia turbarunt transfugæ: Clusini tres, clam nocte ad Fabium consulem transgressi: qui, editis hostium consiliis, dimissi cum donis, ut subinde, ut quæque res nova decreta esset, exploratam perferrent. Consules Fulvio, ut ex Falisco, Postumio, ut ex Vaticano exercitum ad Clusium admoveant, summaque vi fines hostium depopulentur, scribunt. Hujus populationis fama Etruscos ex agro Sentinate ad suos fines tuendos movit. Instare inde consules, ut absentibus iis pugnaretur: per biduum lacessiere prælio hostem: biduo nihil dignum dictu actum. Pauci utrinque cecidere: magisque irritati sunt ad justum certamen animi, quam ad discrimen summa rerum adducta: tertio die descensum in campum omnibus copiis est. Cum instructæ acies starent, cerva fugiens lupum è montibus exacta per campos inter duas acies decurrit: inde diversæ feræ, cerva ad Gallos, lupus ad Romanos cursum deflexit. Lupo data inter ordines via; cervam Galli confixere. Tum ex antesignanis Romanus miles, *Illac fuga*, inquit, *et cædes vertit, ubi sacram Dianæ feram jacentem videtis. Hinc victor Martius lupus, integer et intactus, gentis nos Mar-*

tiæ et conditoris nostri admonuit. Dextro cornu Galli, sinistro Samnites constiterunt: adversus Samnites Q. Fabius primam ac tertiam legiones pro dextro cornu; adversus Gallos pro sinistro Decius quintam et sextam instruxit: secunda et quarta cum L. Volumnio proconsule in Samnio gerebant bellum. Primo concursu adeo æquis viribus gesta res est, ut, si affuissent Etrusci et Umbri, aut in acie, aut in castris, quocumque se inclinassent, accipienda clades fuerit.

24. Cæterum, quamquam communis adhuc Mars belli erat, necdum discrimen fortuna fecerat, qua datura vires esset; haudquaquam similis pugna in dextro lævoque cornu erat. Romani apud Fabium arcebant magis, quam inferebant pugnam; extrahebaturque in quam maxime serum diei certamen: quia ita persuasum erat duci, et Samnites et Gallos primo impetu feroces esse, quos sustineri satis sit; longiore certamine sensim residere Samnitium animos: Gallorum quidem etiam corpora intolerantissima laboris atque æstus fluere; primaque eorum prælia plus quam virorum, postrema minus quam feminarum esse. In id tempus igitur, quo vinci solebat hostis, quam integerrimas vires militi servabat. Ferocior Decius et ætate et vigore animi, quantumcumque virium habuit, certamine primo effudit: et, quia lentior videbatur pedestris pugna, equitatum in pugnam concitat, et ipse, fortissimæ juvenum turmæ immixtus, orat proceres juventutis, in hostem ut secum impetum faciant: duplicem illorum gloriam fore, si ab lævo cornu et ab equite victoria incipiat. Bis avertere Gallicum equitatum: iterum longius evectos, et jam inter media equitum agmina prælium cientes, novum pugnæ conterruit genus: essedis carrisque superstans armatus hostis ingenti sonitu equorum rotarumque advenit, et insolitos ejus tumultus Romanorum conterruit equos. Ita victorem equitatum velut lymphaticus pavor dissipat: sternit inde ruentes equos viresque improvida fuga. Turbata hinc etiam sig.

na legionum: multique impetu equorum ac vehiculolum raptorum per agmen obtriti antesignani: et insecuta, simul territos hostes vidit, Gallica acies nullum spatium respirandi recipiendique se dedit. Vociferari Decius, *quo fugerent? quamve in fuga spem haberent?* obsistere cedentibus, ac revocare fusos: deinde, ut nulla vi perculsos sustinere poterat, patrem P. Decium nomine compellans, *quid ultra moror*, inquit, *familiare fatum? datum hoc nostro generi est, ut luendis periculis publicis piacula simus. Jam ego mecum hostium legiones mactandas Telluri ac diis Manibus dabo.* Hæc locutus, M. Livium pontificem, quem descendens in aciem digredi vetuerat ab se, præire jussit verba, quibus se legionesque hostium pro exercitu populi Romani Quiritium devoveret. Devotus inde eadem precatione eodemque habitu, quo pater P. Decius ad Veserim bello Latino se jusserat devoveri. Cum secundum solemnes precationes adjecisset, *præ se agere sese formidinem ac fugam, cædemque ac cruorem, cœlestium, inferorum iras: contacturum funebribus diris signa, tela, arma hostium; locumque eumdem suæ pestis et Gallorum ac Samnitium fore.* Hæc execratus in se hostesque, qua confertissimam cernebat Gallorum aciem, concitat equum: inferensque se ipse infestis telis est interfectus.

25. Vix humanæ inde opis videri pugna potuit. Romani, duce amisso, quæ res terrori alias esse solet, sistere fugam, ac novam de integro velle instaurare pugnam. Galli, et maxime globus circumstans consulis corpus, velut alienata mente, vana incassum jactare tela: torpere quidam, et nec pugnæ meminisse, nec fugæ. At ex parte altera pontifex Livius, cui lictores Decius tradiderat, jusseratque proprætorem esse, vociferari, *vicisse Romanos defunctos consulis fato. Gallos Samnitesque Telluris matris ac deorum Manium esse. Rapere ad se ac vocare Decium devotam secum aciem; furiarumque ac formidinis plena omnia ad hos-*

tes esse. Superveniunt deinde his restituentibus pugnam L. Cornelius Scipio et C. Marcius, cum subsidiis et novissima acie jussu Q. Fabii consulis ad præsidium collegæ missi: ibi auditur P. Decii eventus, ingens hortamen ad omnia pro republica audenda. Itaque cum Galli structis ante se scutis conferti starent, nec facilis pede collato videretur pugna: jussu legatorum collecta humi pila, quæ strata inter duas acies jacebant, atque in testudinem hostium conjecta, quibus plerisque in scuta, verutis in corpora ipsa fixis, sternitur cuneus; ut magna pars integris corporibus attoniti conciderent: hæc in sinistro cornu Romanorum fortuna variaverat. Fabius in dextro, primo, ut ante dictum est, cunctando extraxerat diem: deinde, postquam nec clamor hostium, nec impetus, nec tela missa, eamdem vim habere visa; præfectis equitum jussis ad latus Samnitium circumducere alas, ut signo dato in transversos, quanto maximo possent impetu, incurrerent; sensim suos signa inferre jussit, et commovere hostem. Postquam non resisti vidit, et haud dubiam lassitudinem esse; tum, collectis omnibus subsidiis, quæ ad id tempus reservaverat, et legiones concitavit, et signum ad invadendos hostes equitibus dedit. Nec sustinuerunt Samnites impetum; præterque aciem ipsam Gallorum, relictis in dimicatione sociis, ad castra effuso cursu ferebantur. Galli, testudine facta, conferti stabant. Tum Fabius, audita morte collegæ, Campanorum alam, quingentos fere equites, excedere acie jubet, et circumvectos ab tergo Gallicam invadere aciem: tertiæ deinde legionis subsequi principes, et, qua turbatum agmen hostium viderent impetu equitum, instare ac territos cædere. Ipse ædem Jovi Victori spoliaque hostium cum vovisset, ad castra Samnitium perrexit; quo multitudo omnis consternata agebatur. Sub ipso vallo, quia tantam multitudinem portæ non recepere, tentata ab exclusis turba suorum pugna est. Ibi Gellius Egnatius impera-

tor Samnitium cecidit: compulsi deinde intra vallum Samnites: parvoque certamine capta castra, et Galli ab tergo circumventi. Cæsa eo die hostium viginti quinque millia, octo capta: nec incruenta victoria fuit: nam ex P. Decii exercitu cæsa septem millia; ex Fabii, mille ac ducenti. Fabius, dimissis ad quærendum collegæ corpus, spolia hostium conjecta in acervum Jovi Victori cremavit. Consulis corpus eo die, quia obrutum superstratis Gallorum cumulis erat, inveniri non potuit: postero die inventum relatumque est cum multis militum lacrymis. Intermissa inde omnium aliarum rerum cura, Fabius collegæ funus omni honore laudibusque meritis celebrat.

25. Et in Etruria per eosdem dies ab Cn. Fulvio proprætore res ex sententia gesta; et, præter ingentem illatam populationibus agrorum hosti cladem, pugnatum etiam egregie est: Perusinorumque et Clusinorum cæsa amplius millia tria, et signa militaria ad viginta capta. Samnitium agmen, cum per Pelignum agrum fugeret, circumventum à Pelignis est: ex millibus quinque ad mille cæsi. Magna ejus diei, quo in Sentinati agro bellatum, fama est, etiam vero stanti: sed superjecere quidam augendo fidem; qui in hostium exercitu peditum quadraginta millia trecentos triginta, equitum sex millia, mille carpentorum scripsere fuisse: scilicet cum Umbris Tuscisque, quos et ipsos pugnæ affuisse: et, ut Romanorum quoque augerent copias, L. Volumnium pro consule ducem consulibus, exercitumque ejus legionibus consulum adjiciunt. In pluribus annalibus duorum ea consulum propria victoria est. Volumnius in Samnio interim res gerit, Samnitiumque exercitum, in Tifernum montem compulsum, non deterritus iniquitate loci, fundit fugatque. Q. Fabius, Deciano exercitu relicto in Etruria, suis legionibus deductis ad urbem, de Gallis Etruscisque ac Samnitibus triumphavit: milites triumphantem secuti sunt. Celebrata inconditis carminibus militaribus non

magis victoria Q. Fabii, quam mors præclara P. Decii est: excitataque memoria parentis, æquata eventu publico privatoque filii laudibus. Data est præda militibus æris octogeni bini, sagaque et tunicæ; præmia illa tempestate militiæ haudquaquam spernenda. *Ex libr. X.*

INITIUM NARRATIONIS

SECUNDI BELLI PUNICI.

27. In parte operis mei licet mihi præfari, quod in principio summæ totius professi plerique sunt rerum scriptores, bellum maxime omnium memorabile, quæ unquam gesta sint, me scripturum; quod Annibale duce Carthaginienses cum populo Romano gessere. Nam neque validiores opibus ullæ inter se civitates gentesque contulerunt arma, neque his ipsis tantum unquam virium aut roboris fuit: et haud ignotas belli artes inter se, sed expertas primo Punico conserebant bello: et adeo varia belli fortuna ancepsque Mars fuit, ut propius periculum fuerint, qui vicerunt. Odiis etiam prope majoribus certarunt, quam viribus: Romanis indignantibus, quod victoribus victi ultro inferrent arma; Pœnis, quod superbe avareque crederent imperitatum victis esse. Fama etiam est Annibalem annorum ferme novem, pueriliter blandientem patri Amilcari, ut duceretur in Hispaniam, cum, perfecto Africo bello, exercitum eo trajecturus sacrificaret, altaribus admotum, tactis sacris jurejurando adactum, se, cum primum posset, hostem fore populo Romano. Angebant ingentis spiritus virum Sicilia Sardiniaque amissæ: nam et Siciliam nimis celeri desperatione rerum concessam, et Sardiniam inter motum Africæ fraude Romanorum, stipendio etiam insuper imposito, interceptam.

28. His anxius curis ita se Africo bello, quod fuit sub recentem Romanam pacem, per quinque annos, ita deinde novem annis in Hispania augendo Punico imperio gessit, ut appareret, majus eum, quam quod gereret, agitare in animo bellum: et, si diutius vixisset, Amilcare duce Pœnos arma Italiæ illaturos fuisse, quæ Annibalis ductu intulerunt. Mors Amilcaris peropportuna, et pueritia Annibalis distulerunt bellum. Medius Asdrubal inter patrem et filium octo ferme annos imperium obtinuit; flore ætatis (uti ferunt) primō Amilcari conciliatus; gener inde ob altam indolem provecto annis ascitus, et, quia gener erat, factionis Barcinæ opibus, quæ apud milites plebemque plus quam modicæ erant, haud sane voluntate principum, imperio potitus. Is plura consilio, quam vi gerens, hospitiis regulorum magis, conciliandisque per amicitiam principum novis gentibus, quam bello aut armis rem Carthaginiensem auxit. Cæterum nihilo ei pax tutior fuit: barbarus eum quidam palam, ob iram interfecti ab eo domini, obtruncavit; comprehensusque ab circumstantibus haud alio, quam si evasisset, vultu, tormentis quoque cum laceraretur, eo fuit habitu oris, ut, superante lætitia dolores, ridentis etiam speciem præbuerit. Cum hoc Asdrubale, quia miræ artis in sollicitandis gentibus imperioque jungendis suo fuerat, fœdus renovaverat populus Romanus, ut finis utriusque imperii esset amnis Iberus, Saguntinisque mediis inter imperia duorum populorum libertas servaretur.

29. In Asdrubalis locum haud dubia res fuit, quin prærogativam militarem, qua extemplo juvenis Annibal in prætorium delatus, imperatorque ingenti omnium clamore atque assensu appellatus erat, favor etiam plebis sequeretur. Hunc vixdum puberem Asdrubal litteris ad se arcessierat: actaque res etiam in senatu fuerat, Barcinis nitentibus, ut assuesceret militiæ Annibal, atque in paternas succederet opes. Hanno, alterius factionis princeps, *Et æquum postulare vi-*

detur, inquit, *Asdrubal*; *et ego tamen non censeo, quod petit, tribuendum.* Cum admiratione tam ancipitis sententiæ in se omnes convertisset, *Florem ætatis*, inquit, *Asdrubal*, *quem ipse patri Annibalis fruendum præbuit, justo jure eum à filio repeti censet: nos tamen minime decet, juventutem nostram pro militari rudimento assuefacere libidini prætorum. An hoc timemus, ne Amilcaris filius nimis sero imperia immodica et regni paterni speciem videat? et, cujus regis genero hæreditarii sint relicti exercitus nostri, ejus filio parum mature serviamus? Ego, istum juvenem domi tenendum, sub legibus, sed magistratibus docendum vivere æquo jure cum cæteris, censeo: ne quandoque parvus hic ignis incendium ingens exsuscitet.*

30. Pauci, ac ferme optimus quisque, Hannoni assentiebantur, sed (ut plerumque fit) major pars meliorem vicit. Missus Annibal in Hispaniam primo statim adventu omnem exercitum in se convertit. Amilcarem juvenem redditum sibi veteres milites credere; eumdem vigorem in vultu, vimque in oculis, habitum oris lineamentaque intueri: dein brevi effecit, ut pater in se minimum momentum ad favorem conciliandum esset. Nunquam ingenium idem ad res diversissimas, parendum atque imperandum, habilius fuit: itaque haud facile decerneres utrum imperatori, an exercitui carior esset: neque Asdrubal alium quemquam præficere malle, ubi quid fortiter ac strenue agendum esset: neque milites alio duce plus confidere, aut audere. Plurimum audaciæ ad pericula capessenda, plurimum consilii inter ipsa pericula erat: nullo labore aut corpus fatigari, aut animus vinci poterat. Caloris ac frigoris patientia par: cibi potionisque desiderio naturali, non voluptate modus finitus: vigiliarum somnique nec die, nec nocte discriminata tempora. Id, quod gerendis rebus superesset, quieti datum: ea neque molli strato, neque silentio arcessita. Multi sæpe mi-

litari sagulo opertum, humi jacentem inter custodias stationesque militum conspexerunt. Vestitus nihil inter æquales excellens : arma atque equi conspiciebantur. Equitum peditumque idem longe primus erat: princeps in prælium ibat ; ultimus conserto prælio excedebat. Has tantas viri virtutes ingentia vitia æquabant; inhumana crudelitas, perfidia plus quam Punica, nihil veri, nihil sancti, nullus deûm metus, nullum jusjurandum, nulla religio. Cum hac indole virtutum atque vitiorum triennio sub Asdrubale imperatore meruit, nulla re, quæ agenda videndaque magno futuro duci esset, prætermissa. *Ex libr. XXI.*

CARTHAGO NOVA A SCIPIONE CAPITUR.

31. In Hispania principio veris P. Scipio, navibus deductis, evocatisque edicto Tarraconem sociorum auxiliis, classem onerariasque hostium inde Iberi fluminis petere jubet. Eodem legiones ex hibernis convenire cum jussisset : ipse cum quinque millibus sociorum ab Tarracone profectus ad exercitum est. Quo cum venisset, alloquendos maxime veteres milites, qui tantis superfuerant cladibus, ratus, concione advocata, ita disseruit: *Nemo ante me novus imperator militibus suis prius, quam opera eorum usus esset, gratias agere jure ac merito potuit. Me vobis prius, quam provinciam aut castra viderem, obligavit fortuna: primum, quod ea pietate erga patrem patruumque meum vivos mortuosque fuistis: deinde, quod amissam tanta clade provinciæ possessionem, integram, et populo Romano et successori mihi, virtute vestra obtinuistis. Sed cum jam benignitate deûm id paremus atque agamus, non ut ipsi maneamus in Hispania, sed ne Pœni maneant, nec ut pro ripa Iberi stantes arceamus transitu hostes, sed ut ultro transeamus, transferamusque bellum; vereor, ne cui vestrum majus id audaciusque consilium, quam aut pro memoria cladium nuper acceptarum, aut pro*

ætate mea videatur. Adversæ pugnæ in Hispania nullius in animo, quam meo, minus obliterari possunt. Quippe cui pater et patruus intra triginta dierum spatium, ut aliud super aliud cumularetur familiæ nostræ funus, interfecti sunt. Sed ut familiaris pæne orbitas ac solitudo frangit animum; ita publica cum fortuna tum virtus desperare de summa rerum prohibet. Ea fato quodam data nobis sors est, ut magnis omnibus bellis victi vicerimus. Vetera omitto, Porsenam, Gallos, Samnites à Punicis bellis incipiam. Quot classes, quot duces, quot exercitus priore bello amissi sunt? Jam quid hoc bello memorem? Omnibus aut ipse adfui cladibus: aut, quibus abfui, maxime unus omnium eas sensi. Trebia, Trasimenus, Cannæ, quid aliud sunt, quam monumenta occisorum exercituum consulumque Romanorum? Adde defectionem Italiæ, Siciliæ majoris partis, Sardiniæ. Adde ultimum terrorem ac pavorem, castra Punica inter Anienem et mœnia Romana posita, et visum prope in portis victorem Annibalem. In hac ruina rerum stetit una integra atque immobilis virtus populi Romani. Hæc omnia strata humi erexit ac sustulit. Vos omnium primi, milites, post Cannensem cladem vadenti Asdrubali ad Alpes Italiamque, qui si se cum fratre conjunxisset, nullum jam nomen esset populi Romani, ductu auspicioque patris mei obstitistis: et hæ secundæ res illas adversas sustinuerint. Nunc, benignitate deûm, omnia secunda, prospera, in dies lætiora ac meliora in Italia Siciliaque geruntur. In Sicilia Syracusæ, Agrigentum captum pulsi tota insula hostes, receptaque provincia in ditione populi Romani est. In Italia Arpi recepti, Capua capta. Iter omne ab urbe Roma trepida fuga emensus Annibal, in extremum angulum agri Bruttii compulsus, nihil jam majus precatur deos, quam ut incolumi cedere atque abire ex hostium terra liceat. Quid igitur minus conveniat, milites, quam, cum aliæ super alias clades cumularentur, ac dii prope ipsi

cum Annibale starent, vos hic cum parentibus meis (æquentur enim etiam honore nominis) sustinuisse labentem fortunam populi Romani; nunc eosdem, quia illic omnia secunda lætaque sunt, animis deficere? Nuper quoque quæ acciderunt, utinam tam sine meo luctu, quam vestro, transisissent! Nunc dii immortales imperii Romani præsides, qui centuriis omnibus, ut mihi imperium juberent dari, fuere auctores, iidem auguriis auspiciisque, et per nocturnos etiam visus omnia læta ac prospera portendunt. Animus quoque meus maximus mihi ad hoc tempus vates, præsagit, nostram Hispaniam esse: brevi extorre hinc omne Punicum nomen, maria terrasque fœda fuga impleturum. Quod mens sua sponte divinat, idem subjicit ratio haud fallax. Vexati ab iis socii nostram fidem per legatos implorant: tres duces discrepantes, prope ut defecerint alii ab aliis, trifariam exercitum in diversissimas regiones distraxere. Eadem in illos ingruit fortuna, quæ nuper nos afflixit: nam et deseruntur ab sociis, ut prius ab Celtiberis nos: et diduxerunt exercitus; quæ patri patruoque meo causa exitii fuit. Nec discordia intestina coire eos in unum sinet, neque singuli nobis resistere poterunt. Vos modo, milites, favete nomini Scipionum, soboli imperatorum vestrorum, velut accisis recrescenti stirpibus. Agite, milites veteres, novum exercitum novumque ducem traducite Iberum, traducite in terras cum multis fortibus factis sæpe à vobis peragratas. Brevi faciam, ut, quemadmodum nunc noscitatis in me patris patruique similitudinem oris vultusque, et lineamenta corporis; ita ingenii, fidei, virtutisque exemplum expressam ad effigiem vobis reddam, ut revixisse, aut renatum sibi quisque Scipionem imperatorem dicat.

32. Hac oratione accensis militum animis, relicto ad præsidium regionis ejus M. Silano, cum tribus millibus peditum et trecentis equitibus, cæteras omnes copias (erant autem viginti quinque millia pedi-

tum, duo millia et quingenti equites) Iberum trajecit. Ibi quibusdam suadentibus, ut, quoniam in tres tam diversas regiones discessissent Punici exercitus, proximum aggrederetur; periculum esse ratus, ne eo factó in unum omnes contraheret, nec par esset unus tot exercitibus, Carthaginem novam interim oppugnare statuit, urbem cum ipsam opulentam suis opibus, tum hostium omni bellico apparatu plenam; (ibi arma, ibi pecunia, ibi totius Hispaniæ obsides erant) sitam præterea cum opportune ad trajiciendum in Africam, tum super portum satis amplum quantævis classi, et nescio an unum in Hispania ora, qua nostro adjacet mari. Nemo omnium, quo iretur, sciebat, præter C. Lælium. Is, classe circummissus, ita moderari cursum navium jussus erat, ut eodem tempore exercitus ostenderetur, et classis portum intraret. Septimo die ab Ibero Carthaginem ventum est simul terra marique: castra ab regione urbis, qua in septentrionem versa est, posita: his ab tergo (nam frons natura tuta erat) vallum objectum. Cæterum sita Carthago sic est. Sinus est maris media fere Hispaniæ ora maxime Africo vento oppositus, et quingentos passus introrsus retractus, paululo plus passuum in latitudinem patens. Hujus in ostio sinus parva insula objecta ab alto portum ab omnibus ventis, præterquam Africo, tutum facit: ab intimo sinu peninsula excurrit, tumulus is ipse, in quo condita urbs est, ab ortu solis et à meridie cincta mari: ab occasu stagnum claudit, paulum et ab septentrionem fusum, incertæ altitudinis, utcumque exæstuat aut deficit mare. Continenti urbem jugum ducentos fere et quinquaginta passus patens conjungit, unde cum tam parvi operis munitio esset, non objecit vallum imperator Romanus: seu fiduciam hosti superbe ostentans, sive ut subeunti sæpe ad mœnia urbis recursus pateret.

33. Cætera, quæ munienda erant, cum perfecisset, naves etiam in portu, velut maritimam quoque ostentans obsidionem, instruxit: circumvectusque classem,

cum monuisset præfectos navium, ut vigilias nocturnas intenti servarent, omnia ubique primo obsessum hostem conari; regressus in castra, ut consilii sui rationem, quod ab urbe potissimum oppugnanda bellum orsus esset, militibus ostenderet, et spem potiundæ cohortando faceret, concione advocata ita disseruit: *Ad urbem unam oppugnandum si quis vos adductos credit, is magis operis vestri, quam emolumenti rationem exactam, milites, habet. Oppugnabitis enim vere mœnia unius urbis, sed in una urbe universam ceperitis Hispaniam. Hic sunt obsides omnium nobilium regum populorumque: qui, simul in potestate vestra erunt, extemplo omnia, quæ nunc sub Carthaginiensibus sunt, in ditionem tradent. Hic pecunia omnis hostium, sine qua neque illi gerere bellum possunt, quippe qui mercenarios exercitus alant; et quæ nobis maximo usui ad conciliandos animos barbarorum erit. Hic tormenta, arma, armamenta, et omnis apparatus belli est, qui simul et vos instruet, et hostes nudabit. Potiemur præterea cum pulcherrima opulentissimaque urbe, tum opportunissima portu egregio, unde terra marique, quæ belli usus poscunt, suppeditentur: quæ cum magna ipsi habebimus, tum dempserimus hostibus multo majora. Hæc illis arx, hoc horreum, ærarium, armamentarium, hoc omnium rerum receptaculum est. Hinc rectus in Africam cursus est: hæc una inter Pyrenæum et Gades statio: hinc omni Hispania imminet Africa. Sed, quoniam vos instructos et ordinatos cognosco, ad Carthaginem novam oppugnandam totis viribus et bono animo transeamus.* Cumque omnes una voce, *hoc faciendum*, succlamarent, eos Carthaginem duxit: tum terra marique eam oppugnari jubet.

34. Contra Mago Pœnorum dux, cum terra marique instrui oppugnationem videret, et ipse copias ita disponit. Oppidanorum duo millia ab ea parte, qua castra Romana erant, opponit: quingentis militibus arcem insedit: quingentos tumulo urbis in orientem

verso imponit: multitudinem aliam, quo clamor, quo subita vocasset res, intentam ad omnia occurrere jubet. Patefacta deinde porta, eos, quos in via ferente ad castra hostium instruxerat, mittit. Romani, duce ipso præcipiente, parumper cessere, ut propiores subsidiis in certamine ipso submittendis essent. Et primo haud impari stetere acie: subsidia deinde, identidem submissa è castris, non averterunt solum in fugam hostes, sed adeo effusis institerunt, ut, nisi receptui cecinisset, permixti fugientibus irrupturi fuisse in urbem viderentur. Trepidatio vero non in prælio major, quam tota urbe fuit: multæ stationes pavore atque fuga desertæ sunt, relictique muri; cum, qua cuique erat proximum, desiluissent. Quod ubi egressus Scipio in tumulum, quem Mercurii vocant, animadvertit, multis partibus nudata defensoribus mœnia esse; omnes è castris excitos ire ad oppugnandam urbem, et ferre scalas jubet: ipse, trium præ se juvenum validorum scutis oppositis (ingens enim jam vis omnis generis telorum è muris volabat) ad urbem succedit, hortatur, imperat, quæ in rem sunt; quodque plurimum ad accendendos militum animos intererat, testis spectatorque virtutis atque ignaviæ cujusque adest. Itaque in vulnera ac tela ruunt; neque illos muri, neque superstantes armati arcere queunt, quin certatim ascendant. Et ab navibus eodem tempore ea, quæ mari alluitur, pars urbis oppugnari cœpta est. Cæterum tumultus inde major, quam vis, adhiberi poterat: dum applicant, dum partim exponunt scalas militesque, dum, qua cuique proximum est, in terram evadere properant, ipsa festinatione et certamine alii alios impediunt.

35. Inter hæc repleverat jam Pœnus armatis muros, et vis magna, ex ingenti copia congesta, telorum suppeditabat. Sed neque viri, nec tela, nec quidquam aliud æque, quam mœnia ipsa sese defendebant: raræ enim scalæ altitudini æquari poterant: et, quo quæque

altiores, eo infirmiores erant. Itaque, cum summus quisque evadere non posset, subirent tamen alii, onere ipso frangebantur: quidam, stantibus scalis, cum altitudo caliginem oculis offudisset, ad terram delati sunt. Et cum passim homines scalæque ruerent, et ipso successu audacia atque alacritas hostium cresceret, signum receptui datum est; quod spem non præsentis modo ab tanto certamine ac labore quietis obsessis, sed etiam in posterum dedit, scalis et corona capi urbem non posse: opera et difficilia esse, et tempus datura ad ferendam opem imperatoribus suis. Vix prior tumultus conticuerat, cum Scipio ab defessis jam vulneratisque recentes integrosque alios accipere scalas jubet, et vi majore aggredi urbem. Ipse, ut ei nuntiatum est, æstum decere, quod per piscatores Tarraconenses, nunc levibus cymbis, nunc, ubi eæ siderent, vadis pervagatos stagnum, compertum, habebat, facilem pedibus ad murum transitum dari, eo secum armatos duxit. Medium ferme diei erat: et ad id, quod sua sponte cedente in mare æstu trahebatur aqua, acer etiam septentrio ortus inclinatum stagnum eodem, quo æstus ferebat, et adeo nudaverat vada, ut alibi umbilico tenus aqua esset, alibi genua vix superaret. Hoc, cura ac ratione compertum in prodigium ac deos vertens Scipio, qui ad transitum Romanis mare verterent, et stagno auferrent, viasque ante nunquam initas humano vestigio aperirent, Neptunum jubebat ducem itineris sequi, ac medio stagno evadere ad mœnia.

36. Ab terra ingens labor succedentibus erat: nec altitudine tantum mœnium impediebantur, sed quod euntes ad ancipites utrinque ictus subjectos habebant Romanos; ut latera infestiora subeuntibus, quam adversa corpora, essent. At parte in alia quingentis et per stagnum facilis transitus, et in murum ascensus inde fuit: nam neque opere emunitus erat, ut ubi ipsius loci ac stagni præsidio satis creditum foret; nec ulla armatorum statio aut custodia opposita, intentis omni-

bus ad opem eo ferendam, unde periculum ostendebatur. Ubi urbem sine certamine intravere, pergunt inde, quanto maximo cursu poterant, ad eam portam, circa quam omne contractum certamen erat: in quod adeo intenti omnium non animi solum fuere, sed etiam oculi auresque pugnantium spectantiumque et adhortantium pugnantes, ut nemo ante ab tergo senserit captam urbem, quam tela in aversos inciderunt, et utrinque ancipitem hostem habebant: tum, turbatis defensoribus metu, et mœnia capta, et porta intus forisque pariter refringi cœpta: et mox cædendo confractis, ne iter impediretur, foribus, armati impetum fecerunt. Magna multitudo et muros transcendebant, sed hi passim ad cædem oppidanorum versi: illa, quæ portam ingressa erat, justa acies, cum ducibus, cum ordinibus, media urbe in forum processit. Inde cum duobus itineribus fugientes videret hostes, alios ad tumulum in orientem versum, qui tenebatur quingentorum militum præsidio, alios in arcem, in quam et ipse Mago cum omnibus fere armatis, qui muris pulsi fuerant, refugerat; partim copiarum ad tumulum expugnandum mittit, partim ipse ad arcem ducit: et tumulus primo impetu est captus, et Mago, arcem conatus defendere, cum omnia hostium plena videret, neque spem ullam esse, se arcemque et præsidium dedidit. Quoad dedita arx est, cædes tota urbe passim factæ; nec ulli puberum, qui obvius fuit, parcebatur: tum, signo dato, cædibus finis factus, ad prædam victores versi, quæ ingens omnis generis fuit.

37. Liberorum capitum virile secus ad decem millia capta: inde, qui cives Novæ Carthaginis erant, dimisit: urbemque et sua omnia, quæ reliqua eis bellum fecerat, restituit. Opifices ad duo millia hominum erant, eos publicos fore populi Romani edixit, cum spe propinqua libertatis, si ad ministeria belli enixe operam navassent. Cæteram multitudinem incolarum juvenum ac validorum servorum in classem ad sup-

plementum remigum dedit: et auxerat navibus octo captivis classem. Extra hanc multitudinem Hispanorum obsides erant: quorum perinde, ac si sociorum liberi essent, cura habita. Captus et apparatus ingens belli; catapultæ maximæ formæ centum viginti, minores ducentæ octoginta et una: ballistæ majores viginti tres, minores quinquaginta duæ: scorpionum majorum minorumque, et armorum telorumque ingens numerus: signa militaria septuaginta quatuor. Et auri argentique relata ad imperatorem magna vis: pateræ auræ fuerunt ducentæ septuaginta sex, libras ferme omnes pondo: argenti facti signatique decem et octo millia et trecenta pondo: vasorum argenteorum magnus numerus. Hæc omnia C. Flaminio, quæstori appensa annumerataque sunt: tritici quadraginta millia modium, hordei ducenta septuaginta. Naves onerariæ sexaginta tres in portu expugnatæ captæque: quædam cum suis oneribus, frumento, armis, ære præterea, ferroque, et linteis, et sparto, et navali alia materia ad classem ædificandam: ut minimum omnium, inter tantas opes belli captas, Carthago ipsa fuerit.

38. Eo die Scipio, C. Lælio cum sociis navalibus urbem custodire jusso, ipse in castra legiones reduxit: fessosque milites omnibus uno die belli operibus (quippe qui et acie dimicassent, et capienda urbe tantum laboris periculique adissent, et capta, cum iis, qui in arcem confugerant, iniquo etiam loco pugnassent) curare corpora jussit. Postero die, militibus navalibusque sociis convocatis, primum diis immortalibus laudesque et grates egit, qui se non urbis solum opulentissimæ omnium in Hispania uno die compotem fecissent, sed ante eo congessissent omnis pæne Africæ atque Hispaniæ opes: ut neque hostibus quidquam relinqueretur, et sibi ac suis omnia superessent. Militum deinde virtutem collaudavit, quod eos non eruptio hostium, non altitudo mœnium, non inexplorata stagni vada, non castellum in alto tumulo si-

tum, non munitissima arx deterruisset, quo minus transcenderent omnia perrumperentque. Itaque, quamquam omnibus omnia deberet, præcipuum muralis coronæ decus ejus esse, qui primus murum ascendisset: profiteretur, qui se dignum eo duceret dono. Duo professi sunt: Q. Trebellius centurio legionis quartæ, et Sex. Digitius socius navalis: nec ipsi tam inter se acriter contendebant, quam studia excitaverant uterque sui corporis hominum. Sociis C. Lælius præfectus classis; legionariis M. Sempronius Tuditanus aderat. Ea contentio cum prope seditionem veniret, Scipio tres recuperatores cum se daturum pronuntiasset, qui, cognita causa testibusque auditis, judicarent, uter prior in oppidum transcendisset; C. Lælio et M. Sempronio advocatis partis utriusque P. Cornelium Caudinum de medio adjecit; eosque tres recuperatores considere, et causam cognoscere jussit. Cum res eo majore ageretur certamine, quod amoti tantæ dignitatis non tam advocati, quam moderatores studiorum fuerant; C. Lælius, relicto consilio, ad tribunal ad Scipionem accedit, eumque docet, *rem sine modo ac modestia agi: ac prope esse, ut manus inter se conserant. Cæterum, etiamsi vis absit, nihilominus detestabili exemplo rem agi; quippe ubi fraude ac perjurio decus petatur virtutis. Stare hinc legionarios milites, hinc classicos, per omnes deos paratos jurare, magis quæ velint, quam quæ sciant vera esse, et obstringere perjurio non se solum suumque caput, sed signa militaria, et aquilas, sacramentique religionem. Hæc se ad eum de sententia P. Cornelii et M. Sempronii deferre.* Scipio, collaudato Lælio, ad concionem advocavit, pronuntiavitque, *Se satis compertum habere, Q. Trebellium et Sex. Digitium pariter in murum ascendisse: seque eos ambos virtutis causa, coronis muralibus donare.* Tum reliquos, prout cuique meritum virtusque erat, donavit: ante omnes C. Lælium præfectum classis et omni genere laudis sibimet ipse

æquavit, et corona aurea ac triginta bubus donavit.

39. Tum obsides civitatum Hispaniæ vocari jussit: quorum quantus numerus fuerit, piget scribere: quippe cum alibi trecentos ferme, alibi septingentos viginti quinque fuisse inveniam. Æque et alia inter auctores discrepant. Præsidium Punicum alius decem, alius septem, alius haud plus quam duum millium fuisse scribit. Capta alibi decem millia capitum, alibi supra quinque et viginti invenias. Scorpiones majores minoresque ad sexaginta captos scripserim, si auctorem Græcum sequar Silenum: si Valerium Antiatem, majorum scorpionum sex millia, minorum tredecim: adeo nullus mentiendi modus est. Ne de ducibus quidem convenit; plerique Lælium præfuisse classi: sunt, qui M. Junium Silanum dicant. Arinem præfuisse Punico præsidio, deditumque Romanis, Antias Valerius: Magonem alii scriptores tradunt. Non de numero navium captarum, non de pondere auri atque argenti, et redactæ pecuniæ convenit. Si aliquibus assentiri necesse est, media simillima veris sunt. Cæterum Scipio, vocatis obsidibus, primum universos bonum animum habere jussit: *Venisse eos in populi Romani potestatem, qui beneficio, quam metu, obligare homines malit; exterasque gentes fide ac societate junctas habere, quam tristi subjectas servitio.* Deinde, acceptis nominibus civitatum, recensuit captivos, quot cujusque populi essent: et nuntios domum misit, ut ad suos quisque recipiendos veniret. Si quarum forte civitatum legati aderant, eis præsentibus suos restituit: cæterorum curam benigne tuendorum C. Flaminio quæstori attribuit. Inter hæc è media turba obsidum mulier magno natu, Mandonii uxor, qui frater Indibilis Ilergetum reguli erat, flens ad pedes imperatoris procubuit, obtestarique cœpit, ut curam cultumque feminarum impensius custodibus commendaret: cum Scipio, *nihil profecto defuturum*, diceret: tum rursus mulier, *Haud magni ista facimus*, inquit. *quid enim huic fortunæ non*

satis est? Alia me cura, ætatum harum intuentem, (nam ipsa jam extra periculum injuriæ muliebris sum) stimulat. Ætate et forma florentes circa erant Indibilis filiæ, aliæque nobilitate pari, quæ omnes eam pro parente colebant. Tum Scipio, *Meæ populique Romani disciplinæ causa facerem*, inquit, *ne quid, quod sanctum usquam esset, apud nos violaretur: nunc, ut id curem impensius, vestra quoque virtus dignitasque facit: quæ ne in malis quidem oblitæ decoris matronalis estis.* Spectatæ deinde integritatis viro tradidit eas, tuerique haud secus verecunde ac modeste, quam hospitum conjuges ac matres, jussit.

40. Captiva deinde à militibus adducitur ad eum adulta virgo, adeo eximia forma, ut, quacumque incedebat, converteret omnium oculos. Scipio, percontatus patriam parentesque, inter cætera accepit, desponsam eam principi Celtiberorum adolescenti: Allucio nomen erat. Extemplo igitur parentibus sponsoque ab domo accitis, cum interim audiret, deperire eum sponsæ amore, ubi primum venit, accuratiore eum sermone, quam parentes, alloquitur. *Juvenis*, inquit, *juvenem appello, quo minor sit inter nos hujus sermonis verecundia. Ego, cum sponsa tua capta à militibus nostris ad me ducta esset, audiremque eam tibi cordi esse, et forma faceret fidem, quia ipse, si frui liceret ludo ætatis (præsertim recto et legitimo amore) et non respublica animum nostrum occupasset, veniam mihi dari sponsam impensius amanti vellem: tuo, cujus possum, amori faveo. Fuit sponsa tua apud me eadem, qua apud soceros tuos parentesque suos, verecundia: servata tibi est, ut inviolatum et dignum me teque dari tibi donum posset. Hanc mercedem unam pro eo munere paciscor: amicus populo Romano sis, et si me virum bonum credis esse, quales patrem patrumque meum jam ante hæ gentes norant, scias multos nostri similes in civitate Romana esse; nec ullum in terris populum hodie dici posse, quem minus tibi hostem*

tuisque esse velis, aut amicum malis. Adolescens, simul pudore et gaudio perfusus, dextram Scipionis tenens, deos omnes invocare ad gratiam illi pro se referendam, quoniam sibi nequaquam satis facultatis, pro suo animo atque illius erga se merito, esset. Parentes inde cognatique virginis appellati: qui, quoniam gratis sibi redderetur virgo, ad quam redimendam satis magnum attulissent auri pondus, orare Scipionem, ut id ad se donum acciperet, cœperunt: haud minorem ejus rei apud se gratiam futuram esse, affirmantes, quam redditæ inviolatæ fore virginis. Scipio, quando tanto opere peterent, accepturum se pollicitus, poni ante pedes jussit: vocatoque ad se Allucio *super dotem*, inquit, *quam accepturus à socero es, hæ tibi à me dotalia dona accedent*: aurumque tollere, ac sibi habere jussit. His lætus donis honoribusque dimissus domum, implevit populares laudibus meritis Scipionis: *Venisse diis simillimum juvenem, vincentem omnia, cum armis, tum benignitate ac beneficiis.* Itaque, delectu clientium habito, cum delectis mille et quadringentis equitibus intra paucos dies ad Scipionem revertit.

41. Scipio retentum secum Lælium, dum captivos obsidesque et prædam ex consilio ejus disponeret, satis omnibus compositis, data quinquereme, captivisque, Magone et quindecim fere senatoribus, qui simul cum eo capti erant, in navem impositis, nuntium victoriæ Romam mittit; ipse paucos dies, quibus morari Carthagine statuerat, exercendis navalibus pedestribusque copiis absumpsit Primo die legiones in armis quatuor millium spatium decurrerunt: secundo die arma curare et tergere ante tentoria jussit: tertio die rudibus inter se in modum justæ pugnæ concurrerunt, præpilatisque missilibus jaculati sunt: quarto die quies data: quinto iterum in armis decursum est. Hunc ordinem laboris quietisque, quoad Carthagine morati sunt, servarunt. Remigium classicique milites,

tranquillo in altum evecti, agilitatem navium simulacris navalis pugnæ experiebantur. Hæc extra urbem terra marique corpora simul animosque ad bellum acuebant: urbs ipsa strepebat apparatu belli, fabris omnium generum in publica officina inclusis: dux cuncta pari cura obibat: nunc in classe ac navali erat: nunc cum legionibus decurrebat: nunc operibus aspiciendis tempus dabat, quæque in officinis, quæque in armamentario ac navalibus fabrorum multitudo plurima in singulos dies certamine ingenti faciebat. His ita inchoatis refectisque, qua quassi erant, muris, dispositisque præsidiis ad custodiam urbis, Tarraconem est profectus, à multis legationibus protinus in via aditus: quas partim dato responso ex itinere dimisit, partim distulit Tarraconem, quo omnibus novis veteribusque sociis edixerat conventum. Et cuncti fere, qui cis Iberum incolunt, populi, multi etiam ulterioris provinciæ convenerunt. Carthaginiensium duces primo ex industria famam captæ Carthaginis compresserunt: deinde, ut clarior res erat, quam ut tegi ac dissimulari posset, elevabant verbis. *Nec opinato adventu ac prope furto unius diei urbem unam Hispaniæ interceptam: cujus rei tam parvæ præmio elatum insolentem juvenem, immodico gaudio speciem magnæ victoriæ imposuisse. At ubi appropinquare tres duces, tres victores hostium exercitus audisset, occursuram ei extemplo domesticorum funerum memoriam.* Hæc in vulgus jactabant, haudquaquam ipsi ignari, quantum sibi ad omnia virium, Carthagine amissa, decessisset.



EX C. CORNELII TACITI

ANNALIBUS.

1. Urbem Romam à principio reges habuere: libertatem et consulatum L. Brutus instituit. Dictaturæ ad tempus sumebantur: neque decemviralis potestas ultra biennium, neque tribunorum militum consulare jus diu valuit. Non Cinnæ, non Syllæ longa dominatio: et Pompeji Crassique potentia cito in Cæsarem; Lepidi atque Antonii arma, in Augustum cessere, qui cuncta discordiis civilibus fessa, nomine *Principis* sub imperium accepit. Sed veteris populi Romani prospera vel adversa, claris scriptoribus memorata sunt: temporibusque Augusti dicendis non defuere decora ingenia, donec gliscente adulatione, deterrerentur. Tiberii, Cajique et Claudii ac Neronis res, florentibus ipsis, ob metum falsæ; postquam occiderant, recentibus odiis compositæ sunt. Inde consilium mihi, pauca de Augusto, et extrema tradere: mox Tiberii principatum, et cætera, sine ira et studio, quorum causas procul habeo.

2. Postquam, Bruto et Cassio cæsis, nulla jam publica arma; Pompejus apud Siciliam oppressus; exutoque Lepido, interfecto Antonio, ne Julianis quidem partibus nisi Cæsar dux reliquus: posito *Triumviri* nomine, consulem se ferens, et ad tuendam plebem tribunitio jure contentum; ubi militem donis, populum annona, cunctos dulcedine otii pellexit; insurgere paulatim, munia senatus, magistratuum, legum in se tra-

here, nullo adversante; cum ferocissimi per acies aut proscriptione cecidissent: cæteri nobilium, quanto quis servitio promptior, opibus et honoribus extollerentur: ac novis ex rebus aucti, tuta et præsentia, quam vetera et periculosa mallent. Neque provinciæ illum rerum statum abnuebant, suspecto senatus populique imperio, ob certamina potentium, et avaritiam magistratuum: invalido legum auxilio, quæ vi, ambitu, postremo pecunia turbabantur.

3. Cæterum Augustus subsidia dominationi, Claudium Marcellum, sororis filium, admodum adolescentem, Pontificatu et curuli ædilitate; M. Agrippam, ignobilem loco, bonum militia, et victoriæ socium, geminatis consulatibus extulit: mox, defuncto Marcello, generum sumpsit: Tiberium Neronem, et Claudium Drusum privignos, imperatoriis nominibus auxit, integra etiamdum domo sua: nam genitos Agrippa, Cajum ac Lucium in familiam Cæsarum induxerat; necdum posita puerili prætexta, *Principes juventutis* appellari; destinari consules; specie recusantis flagrantissime cupiverat. Ut Agrippa vita concessit; L. Cæsarem euntem ad Hispanienses exercitus, Cajum remeantem Armenia, et vulnere invalidum, mors fato propera, vel novercæ Liviæ dolus abstulit; Drusoque pridem extincto, Nero solus è privignis erat: illuc cuncta vergere: filius, collega imperii, consors tribunitiæ potestatis adsumitur, omnisque per exercitus ostentatur: non obscuris, ut antea, matris artibus, sed palam hortatu. Nam senem Augustum devinxerat adeo, uti nepotem unicum Agrippam postumum in insulam Planasiam projiceret: rudem sane bonarum artium, et robore corporis stolide ferocem, nullius tamen flagitii compertum. At hercule Germanicum Druso ortum, octo apud Rhenum legionibus imposuit, adscirique per adoptionem à Tiberio jussit, quamquam esset in domo Tiberii filius juvenis: sed quo pluribus munimentis insisteret. Bellum ea tempestate nullum, nisi adversus Germanos

supererat: abolendæ magis infamiæ ob amissum cum Quinctilio Varo exercitum, quam cupidine proferendi imperii, aut dignum ob præmium. Domi res tranquillæ: eadem magistratuum vocabula: juniores post Actiacam victoriam, etiam senes plerique inter bella civium nati. Quotusquisque reliquus, qui rempublicam vidisset?

4 Igitur verso civitatis statu, nihil usquam prisci et integri moris: omnis, exuta æqualitate, jussa principis aspectare. Nulla in præsens formidine, dum Augustus ætate validus, seque et domum et pacem sustentavit. Postquam provecta jam senectus ægre et corpore fatigabatur, aderatque finis, et spes novæ: pauci bona libertatis incassum disserere; plures bellum pavescere; alii cupere; pars multo maxima imminentes dominos variis rumoribus differebant: *trucem Agrippam, et ignominia accensum, non ætate, neque rerum experientia tantæ moli parem: Tiberium Neronem maturum annis, spectatum bello, sed vetere atque insita Claudiæ familiæ superbia; multaque indicia sævitiæ, quamquam premantur, erumpere. Hunc et prima ab infantia eductum in domo regnatrice: congestos juveni consulatus, triumphos: ne iis quidem annis, quibus Rhodi specie secessus exulem egerit, aliquid, quam iram, et simulationem, et secretas libidines meditatum: accedere matrem muliebri impotentia: serviendum feminæ, duobusque insuper adolescentibus, qui rempublicam interim premant, quandoque distrahant.*

5. Hæc atque talia agitantibus, gravescere valetudo Augusti, et quidam scelus uxoris suspectabant. Quippe rumor incesserat, paucos ante menses, Augustum, electis consciis, et comite uno Fabio Maximo Planasiam vectum, ad visendum Agrippam, multas illic utrimque lacrymas, et signa caritatis, spemque ex eo, fore ut juvenis penatibus avi redderetur. Quod Maximum uxori Marciæ aperuisse: illam Liviæ: gnarum id Cæsari: neque multo post, extincto Maximo (du-

bium an quæsita morte) auditos in funere ejus Marciæ gemitus, semet incusantis, *quod causa exitii marito fuisset*. Utcumque se ea res habuit, vixdum ingressus Illyricum Tiberius, properis matris litteris accitur: neque satis compertum est, spirantem adhuc Augustum apud urbem Nolam, an exanimem repererit: acribus namque custodiis domum et vias sepserat Livia: lætique interdum nuntii vulgabantur, donec, provisis, quæ tempus monebat, simul excessisse Augustum, et rerum potiri Neronem, fama eadem tulit.

6. Primum facinus novi principatus fuit, Postumi Agrippæ cædes: quem ignarum inermumque, quamvis firmatus animo, centurio ægre confecit. Nihil de ea re Tiberius apud senatum disseruit: patris jussa simulabat, quibus præscripsisset Tribuno, custodiæ apposito, *ne cunctaretur Agrippam morte adficere, quandoque ipse supremum diem explevisset*. Multa, sine dubio, sævaque Augustus de moribus adolescentis questus, ut exilium ejus senatusconsulto sanciretur, perfecerat: cæterum in nullius unquam suorum necem duravit: neque, mortem nepoti, pro securitate privigni, illatam, credibile erat: propius vero, Tiberium ac Liviam, illum metu, hanc novercalibus odiis, suspecti et invisi juvenis cædem festinavisse. Nuncianti centurioni, ut mos militiæ, *factum esse, quod imperasset: neque imperasse sese, et rationem facti reddendam apud senatum*, respondit. Quod postquam Sallustius Crispus, particeps secretorum, (is ad Tribunum miserat codicillos) comperit: metuens, ne reus subderetur, juxta periculoso, ficta seu vera promeret, monuit Liviam, *ne arcana domus, ne consilia amicorum, ministeria militum vulgarentur: neve Tiberius vim principatus resolveret, cuncta ad senatum vocando: eam conditionem esse imperandi, ut non aliter ratio constet, quam si uni reddatur.*

7. At Romæ ruere in servitium consules, patres, eques: quanto quis illustrior, tanto magis falsi ac

festinantes, vultuque composito, nec læti excessu principis, neu tristiores primordio, lacrymas, gaudium, questus, adulatione miscebant. Sex. Pompejus et Sex. Apulejus consules primi in verba Tiberii Cæsaris juravere: apudque eos Sejus Strabo, et C. Turranius, ille prætoriarum cohortium præfectus, hic annonæ: mox senatus, milesque et populus: nam Tiberius cuncta per consules incipiebat, tanquam vetere republica et ambiguus imperandi: ne edictum quidem, quo patres in curiam vocabat, nisi tribuniciæ potestatis præscriptione posuit, sub Augusto acceptæ: verba edicti fuere pauca, et sensu permodesto: *de honoribus parentis consulturum: neque abscedere à corpore: idque unum ex publicis muneribus usurpare.* Sed, defuncto Augusto, signum prætoris cohortibus, ut imperator, dederat: excubiæ, arma, cætera aulæ, miles in forum, miles in curiam comitabatur: litteras ad exercitus, tanquam adepto principatu, misit: nusquam cunctabundus, nisi cum in senatu loqueretur. Causa præcipua ex formidine, nec Germanicus, in cujus manu tot legiones, immensa sociorum auxilia, mirus apud populum favor, habere imperium, quam expectare mallet. Dabat et famæ; ut vocatus electusque potius à republica videretur, quam per uxorium ambitum, et senili adoptione irrepsisse. Postea cognitum est, ad introspiciendas etiam procerum voluntates, inductam dubitationem: nam verba, vultus, in crimen detorquens, recondebat.

8. Nihil primo senatus die agi passus, nisi de supremis Augusti: cujus testamentum, illatum per virgines Vestæ, Tiberium et Liviam hæredes habuit. Livia in familiam Juliam, nomenque Augustæ, adsumebatur; in spem secundam nepotes pronepotesque: tertio gradu primores civitatis scripserat, plerosque invisos sibi, sed jactantia gloriaque ad posteros. Legata non ultra civilem modum: nisi quod populo et plebi ccccxxxv, prætoriarum cohortium militibus singula

numum millia; legionariis autem, cohortibus civium Romanorum, trecenos numos viritim dedit. Tum consultatum de honoribus: ex quîs maxime insignes visi: *ut porta triumphali duceretur funus*, Gallus Asinius; *ut legum laturum tituli, victarum ab eo gentium vocabula anteferrentur*, L. Arruntius censuere: addebat Messalla Valerius, *renovandum per annos sacramentum in nomen Tiberii*: interrogatusque à Tiberio, *num, se mandante, eam sententiam prompsisset*? *sponte dixisse*, respondit; *neque in iis, quæ ad rempublicam pertinerent, consilio, nisi suo, usurum, vel cum periculo offensionis*: ea sola species adulandi supererat. Conclamant patres, *corpus ad rogum humeris senatorum ferendum.* Remisit Cæsar arroganti moderatione, populumque edicto monuit, *ne, ut quondam nimiis studiis funus divi Julii turbassent, ita Augustum in foro potius, quam in campo Martis, sede destinata, cremari vellent.* Die funeris, milites velut præsidio stetere, multum irridentibus, qui ipsi viderant, quique à parentibus acceperant diem illum crudi adhuc servitii, et libertatis improspere repetitæ cum occisus dictator Cæsar, aliis pessimum, aliis pulcherrimum facinus videretur: *nunc senem principem, longa potentia, provisis etiam hæredum in rempublicam opibus, auxilio scilicet militari tuendum, ut sepultura ejus quieta foret.*

9. Multus hinc ipso de Augusto sermo, plerisque vana mirantibus: *quod idem dies accepti quondam imperii princeps, et vitæ supremus: quod Nolæ, in domo et cubiculo, in quo pater ejus Octavius, vitam finivisset: numerus etiam consulatuum celebrabatur, quo Valerium Corvinum, et C. Marium simul æquaverat: continuata per septem et triginta annos tribunitia potestas: nomen imperatoris semel atque vicies partum: aliaque honorum multiplicata, aut nova.* At apud prudentes vita ejus varie extollebatur, arguebaturve. Hi, *pietate erga parentem, et necessitudine*

reipublicæ, in qua nullus tunc legibus locus, ad arma civilia actum, quæ neque parari possent, neque haberi per bonas artes: multa Antonio, dum interfectores patris ulcisceretur, multa Lepido concessisse: postquam hic socordia senuerit, ille per libidines pessumdatus sit, non aliud discordantis patriæ remedium fuisse, quam ut ab uno regeretur. Non regno tamen, neque dictatura, sed principis nomine constitutam rempublicam mari Oceano, aut amnibus longinquis septum imperium: legiones, provincias, classes, cuncta inter se connexa: jus apud cives, modestiam apud socios: urbem ipsam magnifico ornatu: pauca admodum vi tractata, quo cæteris quies esset.

10. Dicebatur contra, *pietatem erga parentem, et tempora reipublicæ, obtentui sumpta: cæterum cupidine dominandi concitos per largitiones veteranos, paratum ab adolescente privato exercitum, corruptas consulis legiones, simulatam Pompejanarum gratiam partium: mox ubi, decreto patrum, fasces, et jus prætoris invaserit, cæsis Hirtio et Pansa, (sive hostis illos, seu Pansam venenum vulneri adfusum, sui milites Hirtium, et machinator doli Cæsar abstulerant) utriusque copias occupavisse extortum invito senatu consulatum, armaque, quæ in Antonium acceperit, contra rempublicam versa: proscriptionem civium, divisiones agrorum, ne ipsis quidem, qui fecere, laudatas. Sane, Cassii et Brutorum exitus paternis inimicitiis datos, (quamquam fas sit, privata odia publicis utilitatibus remittere) sed Pompejum imagine pacis, sed Lepidum specie amicitiæ deceptos: post Antonium Tarentino Brundisinoque fœdere, et nuptiis sororis illectum, subdolæ adfinitatis pœnas morte exolvisse. Pacem sine dubio posthæc, verum cruentam: Lollianas, Varianasque clades: interfectos Romæ Varrones, Egnatios, Julos.* Nec domesticis abstinebatur: *abducta Neroni uxor: et consulti per ludibrium pontifices, an concepto, necdum edito partu, rite nuberet: qui Ate-*

dii et Vedii Pollionis luxus: postremo Livia, gravis in rempublicam mater, gravior domui Cæsarum noverca: nihil deorum honoribus relictum, cum se templis et effigie numinum, per flamines et sacerdotes, coli vellet: ne Tiberium quidem caritate, aut reipublicæ cura, successorem adscitum: sed quoniam arrogantiam, sævitiamque ejus introspexerit, comparatione deterrima sibi gloriam quæsivisse. Etenim Augustus, paucis ante annis, cum Tiberio tribunitiam potestatem à patribus rursum postularet, quamquam honora oratione, quædam de habitu vultuque et institutis ejus jecerat, quæ velut excusando exprobraret.

11. Cæterum sepultura more perfecta, templum et cœlestes religiones decernuntur. Versæ inde ad Tiberium preces. Et ille varie disserebat, de magnitudine imperii, sua modestia: *solam divi Augusti mentem tantæ molis capacem: se, in partem curarum ab illo vocatum, experiendo didicisse, quam arduum, quam subjectum fortunæ regendi cuncta onus: proinde in civitate tot illustribus viris subnixa, non ad unum omnia deferrent: plures facilius munia reipublicæ sociatis laboribus executuros.* Plus in oratione tali dignitatis, quam fidei erat: Tiberioque etiam in rebus, quas non occuleret, seu natura, sive assuetudine, suspensa semper et obscura verba: tunc vero, nitenti, ut sensus suos penitus abderet, in incertum et ambiguum magis implicabantur. At patres, quibus unus metus, si intelligere viderentur, in questus, lacrymas, vota effundi: ad deos, ad effigiem Augusti, ad genua ipsius, manus tendere; cum proferri libellum, recitarique jussit. Opes publicæ continebantur: quantum civium, sociorumque in armis: quot classes, regna, provinciæ, tributa, aut vectigalia, et necessitates ac largitiones: quæ cuncta sua manu perscripserat Augustus: addideratque consilium coercendi intra terminos imperii, incertum metu, an per invidiam.

12. Inter quæ in senatu ad infimas obtestationes

procumbente, dixit forte Tiberius, *se, ut non toti reipublicæ parem, ita, quæcumque pars sibi mandaretur, ejus tutelam suscepturum.* Tum Asinius Gallus, *interrogo*, inquit, *Cæsar, quam partem reipublicæ mandari tibi velis?* Perculsus improvisa interrogatione, paulum reticuit: deinde, collecto animo, respondit: *Nequaquam decorum pudori suo, legere aliquid, aut evitare ex eo, cui in universum excusari mallet.* Rursus Gallus (etenim vultu offensionem conjectaverat) *non idcirco interrogatum*, ait, *ut divideret, quæ separari nequirent: sed ut sua confessione argueretur, unum esse reipublicæ corpus, atque unius animo regendum:* addidit laudem de Augusto, Tiberiumque ipsum victoriarum suarum, quæque in toga per tot annos egregie fecisset, admonuit. Nec ideo iram ejus lenivit, pridem invisus, tanquam, ducta in matrimonium Vipsania, M. Agrippæ filia, quæ quondam Tiberii uxor fuerat, plus quam civilia agitaret, Pollionisque Asinii, patris ferociam retineret. Post quæ L. Arruntius, haud multum discrepans à Galli oratione, perinde offendit: quamquam Tiberio nulla vetus in Arruntium ira: sed divitem, promtum, artibus egregiis, et pari fama publice, suspectabat.

13. Quippe Augustus, supremis sermonibus cum tractaret, quinam adipisci principem locum, suffecturi, abnuerent, aut, impares, vellent, vel iidem possent, cuperentque: *M. Lepidum*, dixerat, *capacem, sed aspernantem: Gallum Asinium avidum, et minorem: L. Arruntium non indignum, et, si casus daretur, ausurum.* De prioribus consentitur: pro Arruntio quidam Cn. Pisonem tradidere: omnesque, præter Lepidum, variis mox criminibus, struente Tiberio, circumventi sunt. Etiam Q. Haterius, et Mamercus Scaurus, suspicacem animum perstrinxere: Haterius, cum dixisset, *Quousque patieris, Cæsar, non adesse caput reipublicæ?* Scaurus, quia dixerat, *spem esse ex eo, non irritas fore senatus preces, quod relationi consulum jure tribuni-*

ciæ potestatis non intercessisset. In Haterium statim invectus est; Scaurum, cui implacabilius irascebatur, silentium transmisit: fessusque clamore omnium, expostulatione singulorum, flexit paulatim, non ut fateretur, suscipi à se imperium, sed, ut negare et rogari desineret. Constat, Haterium, cum deprecandi causa palatium introisset, ambulantisque Tiberii genua advolveretur, prope à militibus interfectum, quia Tiberius, casu, an manibus ejus impeditus, prociderat: neque tamen periculo talis viri mitigatus est, donec Haterius Augustam oraret, ejusque curatissimis precibus protegeretur. Multa patrum et in Augustam adulatio.

14. Alii *parentem*, alii *matrem patriæ* appellandam; plerique, ut nominis Cæsaris adscriberetur, *Juliæ filius*, censebant: ille, *moderandos feminarum honores*, dictitans, *eademque se intemperantia usurum in his*, *quæ sibi tribuerentur*: cæterum, anxius invidia, et muliebre fastigium in deminutionem sui accipiens, ne lictorem quidem ei decerni passus est: aramque adoptionis, et alia hujuscemodi, prohibuit. At Germanico Cæsari proconsulare imperium petivit: missique legati, qui deferrent, simul mœstitiam ejus ob excessu Augusti solarentur: quo minus idem pro Druso postularetur, ea causa, quod designatus consul Drusus, præsensque erat. Candidatos præturæ duodecim nominavit, numerum ab Augusto traditum: et, hortante senatu, ut augeret, jurejurando obstrinxit, se non excessurum.

15. Tum primum è campo comitia ad patres translata sunt: nam ad eam diem, etsi potissima arbitrio Principis, quædam tamen studiis tribuum fiebant: neque populus ademptum jus questus est, nisi inani rumore: et sénatus, largitionibus ac precibus sordidis exolutus, libens tenuit, moderante Tiberio, ne plures, quam quatuor candidatos, commendaret, sine repulsa et ambitu designandos. Inter quæ tribuni plebei petivere, ut proprio sumpto ederent ludos, qui de nomine Augusti, fastis additi, *Augustales* vocarentur: sed decreta pe-

cunia ex ærario, utque per Circum triumphali veste uterentur: curru vehi haud permissum: mox celebratio annuum ad prætorem translata, cui inter cives et peregrinos jurisdictio evenisset. Hic rerum urbanarum status erat, cum Pannonicas legiones seditio incessit: nullis novis causis, nisi quod mutatus princeps licentiam turbarum, et, ex civili bello, spem præmiorum ostendebat.

16. Castris æstivis tres simul legiones habebantur, præsidente Junio Blæso: qui fine Augusti et initiis Tiberii auditis, ob justitium aut gaudium, intermiserat solita munia. Eo principio lascivire miles, discordare, pessimi cujusque sermonibus præbere aures, denique luxum et otium cupere, disciplinam et laborem aspernari. Erat in castris Percennius quidam, dux olim theatralium operarum, dein gregarius miles, procax lingua, et miscere cœtus, histrionali studio doctus. Is imperitos animos, et, quænam post Augustum militiæ conditio ambigentes, impellere paulatim nocturnis colloquiis, aut flexo in vesperam die, et, delapsis melioribus, deterrimum quemque congregare. Postremo, promptis jam et aliis seditionis ministris, velut concionabundus interrogabat:

17. *Cur paucis centurionibus, paucioribus tribunis, in modum servorum obedirent? quando ausuros exposcere remedia, nisi novum et nutantem adhuc principem precibus, vel armis adirent? satis per tot annos ignavia peccatum, quod tricena aut quadragena stipendia senes, et plerique truncato ex vulneribus corpore, tolerent: ne dimisis quidem finem esse militiæ, sed apud vexillum retentos, alio vocabulo eosdem labores perferre: ac si quis tot casus vita superaverit; trahi adhuc diversas in terras, ubi per nomen agrorum, uligines paludum, vel inculta montium accipiant. Enim vero militiam ipsam gravem, infructuosam: denis in diem assibus animam et corpus æstimari: hinc vestem, arma, tentoria, hinc sævitiam centurionum, et*

vacationes munerum redimi: at hercule verbera et vulnera, duram hiemem, exercitas æstates, bellum atrox, aut sterilem pacem, sempiterna: nec aliud levamentum, quam si certis sub legibus militia iniretur: ut singulos denarios mererent: sextusdecimus stipendii annus finem afferret: ne ultra sub vexillis tenerentur, sed iisdem in castris præmium pecunia solveretur. An prætorias cohortes, quæ binos denarios acciperent, quæ post sexdecim annos penatibus suis redderentur, plus periculorum suscipere? Non obtrectari à se urbanas excubias: sibi tamen apud horridas gentes è contuberniis hostem aspici.

18. Adstrepebat vulgus diversis incitamentis: hi verberum notas, illi canitiem, plurimi detrita tegmina et nudum corpus exprobrantes. Postremo eo furoris venere, ut tres legiones miscere in unam agitaverint: depulsi æmulatione, quia suæ quisque legioni eum honorem quærebant, alio vertunt, atque una tres aquilas et signa cohortium locant: simul congerunt cespites, extruunt tribunal, quo magis conspicua sedes foret. Properantibus Blæsus advenit, increpabatque ac retinebat singulos, clamitans, *mea potius cæde imbuite manus: leviore flagitio legatum interficietis, quam ab imperatore descisc itis: aut incolumis fidem legionum retinebo: aut jugulatus pœnitentiam accelerabo.*

19. Aggregabatur nihilominus cespes, jamque pectori usque adcreverat, cum tandem pervicacia victi incœptum omisere. Blæsus multa dicendi arte, *non per seditionem et turbas desideria militum ad Cæsarem ferenda*, ait: *neque veteres ab imperatoribus priscis, neque ipsos à divo Augusto tam nova petivisse: et parum in tempore incipientes principis curas onerari. Si tamen tenderent in pace tentare, quæ ne civilium quidem bellorum victores expostulaverint: cur contra morem obsequii, contra fas disciplinæ, vim meditentur? decernerent legatos, seque coram mandata darent* Acclamavere, *ut filius Blæsi tribunus legatione ea*

fungeretur, peteretque militibus missionem ad sexdecim annis: cætera mandaturos, ubi prima provenissent. Profecto juvene, modicum otium: sed superbire miles, quod filius legati, orator publicæ causæ, satis ostenderet, necessitate expressa, quæ per modestiam non obtinuissent.

20. Interea manipuli, ante cœptam seditionem Neaportum missi, ob itinera et pontes, et alios usus, postquam turbatum in castris accepere, vexilla convellunt: direptisque proximis vicis, ipsoque Nauporto, quod municipii instar erat, retinentis centuriones irrisu et contumeliis, postremo verberibus insectantur: præcipua in Aufidienum, præfectum castrorum, ira, quem dereptum vehiculo, sarcinis gravant, aguntque primo in agmine, per ludibrium rogitantes, *an tam immensa onera, tam longa itinera libenter ferret?* Quippe Rufus diu manipularis, dein centurio, mox castris præfectus, antiquam duramque militiam revocabat, vetus operis ac laboris, et eo immitior, quia toleraverat.

21. Horum adventu redintegratur seditio, et vagi circumjecta populabantur. Blæsus paucos, maxime præda onustos, ad terrorem cæterorum, adfici verberibus, claudi carcere jubet: nam etiam tum legato à centurionibus, et optimo quoque manipularium parebatur. Illi obniti trahentibus, prensare circumstantium genua, ciere modo nomina singulorum, modo centuriam quisque, cujus manipularis erat, cohortem, legionem, *eadem omnibus imminere*, clamitantes: simul probra in legatum cumulant, cœlum ac deos obtestantur: nihil reliqui faciunt, quo minus invidiam, misericordiam, metum, et iras permoverent. Adcurritur ab universis, et, carcere effracto, solvunt vincula: desertoresque, ac rerum capitalium damnatos, sibi jam miscent.

22. Flagrantior inde vis, plures seditioni duces: et Vibulenus quidam, gregarius miles, ante tribunal Blesi adlevatus circumstantium humeris, apud turbatos, et, quid pararet, intentos: *vos quidem*, inquit, *his*

innocentibus et miserrimis lucem et spiritum reddidistis: sed quis fratri meo vitam, quis fratrem mihi reddit? quem, missum ad vos à Germanico exercitu de communibus commodis, nocte proxima jugulavit per gladiatores suos, quos in exitium militum habet atque armat. Responde, Blæse, ubi cadaver abjeceris? ne hostes quidem sepulturam invident: cum osculis, cum lacrymis dolorem meum implevero, me quoque trucidari jube; dum interfectos nullum ob scelus, sed quia utilitati legionum consulebamus, hi sepeliant.

23. Incendebat hæc fletu, et pectus atque os manibus verberans: mox disjectis, quorum per humeros sustinebatur, præceps, et singulorum pedibus advolutus, tantum consternationis invidiæque concivit, ut pars militum gladiatores, qui è servitio Blæsi erant, pars cæteram ejusdem familiam vincirent, alii ad quærendum corpus effunderentur: ac ni propere, neque corpus ullum reperiri, et servos, adhibitis cruciatibus, abnuere cædem, neque illi fuisse unquam fratrem, pernotuisset, haud multum ab exitio legati aberant. Tribunos tamen, ac præfectum castrorum extrusere: sarcinæ fugientium direptæ: et centurio Lucillius interficitur, cui, militaribus facetiis, vocabulum, *cedo alteram*, indiderant, quia, fracta vite in tergo militis, alteram, clara voce, ac rursus aliam, poscebat: cæteros latebræ texere, uno retento Clemente Julio, qui perferendis militum mandatis habebatur idoneus, ob promptum ingenium. Quin ipsæ inter se legiones, octava et quintadecuma, ferrum parabant: dum centurionem, cognomento Sirpicum, illa morti deposcit, quintadecumani tuentur: ni miles Nonanus preces, et adversum aspernantis, minas interjecisset.

24. Hæc audita, quamquam abstrusum et tristissima quæque maxime occultantem Tiberium perpulere, ut Drusum, filium, cum primoribus civitatis, duabusque prætoriis cohortibus, mitteret, nullis satis certis mandatis, ex re consulturum: et cohortes delecto milite

supra solitum firmatæ, additur magna pars prætoriani equitis, et robora Germanorum, qui tum custodes imperatori aderant: simul prætorii præfectus, Ælius Sejanus, collega Straboni, patri suo, datus, magna apud Tiberium auctoritate, rector juveni, et cæteris periculorum præmiorumque ostentator. Druso propinquanti, quasi per officium, obviæ fuere legiones, non lætæ, ut adsolet, neque insignibus fulgentes, sed illuvie deformi, et vultu, quamquam mœstitiam imitarentur, contumaciæ propiores.

25. Postquam vallum introiit; portas stationibus firmant: globos armatorum, certis castrorum locis, opperiri jubent: cæteri tribunal ingenti agmine circumveniunt. Stabat Drusus, silentium manu poscens: illi, quoties oculos ad multitudinem retulerant, vocibus truculentis strepere: rursum, viso Cæsare, trepidare: murmur incertum: atrox clamor, et repente quies: diversis animorum motibus, pavebant terrebantque. Tandem, interrupto tumultu, litteras patris recitat: in quîs perscriptum erat, *præcipuam ipsi fortissimarum legionum curam, quibuscum plurima bella toleravisset: ubi primum à luctu requiesset animus, acturum apud patres de postulatis eorum: misisse interim filium, ut sine cunctatione concederet, quæ statim tribui possent: cætera senatui servanda, quem neque gratiæ neque severitatis expertem haberi par esset.*

26. Responsum est à concione, *mandata Clementi centurioni, quæ perferret.* Is orditur *de missione á sexdecim annis: de præmiis finitæ militiæ: ut denarius diurnum stipendium foret: ne veterani sub vexillo haberentur.* Ad ea Drusus cum arbitrium senatus et patris obtenderet, clamore turbatur. *Cur venisset, neque augendis militum stipendiis, neque allevandis laboribus, denique nulla benefaciendi licentia? at, hercule, verbera et necem cunctis permitti. Tiberium olim, nomine Augusti, desideria legionum frustrari solitum: easdem artes Drusum retulisse: nunquamne ad se, ni-*

si filios familiarum, venturos? novum id plane, quod imperator sola militis commoda ad senatum rejiciat: eumdem ergo senatum consulendum, quoties supplicia, aut prælia indicantur: an præmia sub dominis, pœnas sine arbitro esse?

27. Postremo deserunt tribunal: ut quis prætorianorum militum, amicorumve Cæsaris occurreret, manus intentantes, causam discordiæ, et initium armorum: maxime infensi Cn. Lentulo, quod is ante alios ætate et gloria belli, firmare Drusum credebatur, et illa militiæ flagitia primus aspernari. Nec multo post, digredientem cum Cæsare, ac, provisu periculi, hiberna castra repetentem, circumsistunt, rogitantes, *quo pergeret? ad imperatorem, an ad patres? ut illic quoque commodis legionum adversaretur?* simul ingruunt saxa jaciunt: jamque lapidis ictu cruentus, et exitii, certus, accursu multitudinis, quæ cum Druso advenerat, protectus est.

28. Noctem minacem, et in scelus erupturam, sors lenivit: nam Luna claro repente cœlo visa languescere. Id miles, rationis ignarus, omen præsentium accepit, ac suis laboribus defectionem sideris adsimulans, *prospereque cessura, quæ pergerent, si fulgor et claritudo deæ redderetur.* Igitur aeris sono; tubarum cornuumque concentu, strepere: prout splendidior, obscuriorve lætari, aut mœrere, et postquam ortæ nubes offecere visui, creditumque conditam tenebris; ut sunt moviles ad superstitionem perculsæ semel mentes, *sibi æternum laborem portendi, sua facinora aversari deos,* lamentantur. Utendum inclinatione ea Cæsar, et, quæ casus obtulerat, in sapientiam vertenda ratus, circumiri tentoria jubet. Accitur centurio Clemens, et si alii bonis artibus grati in vulgus, ii vigiliis, stationibus, custodiis portarum se inserunt, spem offerunt, metum intendunt. *Quousque filium imperatoris obsidebimus? quis certaminum finis? Percennione et Vibuleno sacramentum dicturi sumus? Percennius et Vi-*

bulenus stipendia militibus, agros emeritis largientur? denique, pro Neronibus et Drusis, imperium populi Romani capessent? quin potius, ut novissimi in culpam, ita primi ad pœnitentiam sumus? Tarda sunt, quæ in commune expostulantur: privatam gratiam statim mereare statim recipias. Commotis per hæc mentibus et inter se suspectis, tironem à veterano, legionem à legione dissociant. Tum redire paulatim amor obsequii: omittunt portas, signa, unum in locum principio seditionis congregata, suas in sedes referunt.

29. Drusus, orto die, et vocata concione, quamquam rudis dicendi, nobilitate ingenita, incusat priora, probat præsentia: negat *se terrore et minis vinci: flexos ad modestiam si videat, si supplices audiat, scripturum patri, ut placatus legionum preces exciperet*: orantibus, rursum idem Blæsus, et L. Apronius, eques Romanus, è cohorte Drusi, Justusque Catonius, primi ordinis centurio, ad Tiberium mittuntur. Certatum inde sententiis, cum alii, *opperiendos legatos, atque interim comitate permulcendum militem*, censerent: alii, *fortioribus remediis agendum: nihil in vulgo modicum: terrere, ni paveant: ubi pertimuerint, impune contemni: dum superstitio urgeat, adjiciendos ex duce metus, sublatis seditionis auctoribus.* Promptum ad asperiora ingenium Druso erat: vocatos Vibulenum et Percennium interfici jubet. Tradunt plerique intra tabernaculum ducis obrutos: alii, corpora extra valum adjecta ostentui.

30. Tum, ut quisque præcipuus turbator, conquisiti: et pars, extra castra palantes, à centurionibus, aut prætoriarum cohortium militibus cæsi: quosdam ipsi manipuli, documentum fidei, tradidere. Auxerat militum curas prænatura hiems, imbribus continuis, adeoque sævis, ut non egredi tentoria, congregari inter se, vix tutari signa possent, quæ turbine atque unda raptabantur: durabat et formido cœlestis iræ, *nec frustra adversus impios hebescere sidera, ruere tempestates:*

non aliud malorum levamentum, quam, si linquerent castra infausta temerataque, et soluti piaculo, suis quisque hibernis redderentur: primum octava, dein quintadecuma legio rediere. Nonanus, *operiendas Tiberii epistolas*, clamitaverat, mox desolatus aliorum discessione, imminentem necessitatem sponte prævenit: et Drusus, non expectato legatorum regressu, quia præsentia satis consederant, in urbem rediit.

31. Iisdem ferme diebus, iisdem causis, Germanicæ legiones turbatæ, quanto plures, tanto violentius: et magna spe, fore, ut Germanicus Cæsar imperium alterius pati nequiret, daretque se legionibus, vi sua cuncta tracturus. Duo apud ripam Rheni exercitus erant: cui nomen superiori, sub C. Silio legato; inferiorem A. Cæcina curabat. Regimen summæ rei penes Germanicum, agendo Galliarum censui tum intentum. Sed, quibus Silius moderabatur, mente ambigua fortunam seditionis alienæ speculabantur: inferioris exercitus miles in rabiem prolapsus est, orto ab unetvicesimanis quintanisque initio, et tractis prima quoque ac vicesima legionibus: nam iisdem æstivis in finibus Ubiorum, habebantur per otium aut levia munia. Igitur audito fine Augusti, vernacula multitudo, nuper acto in urbe delectu, lasciviæ sueta, laborum intolerans, implere cæterorum rudes animos. *Venisse tempus, quo, veterani maturam missionem, juvenes largiora stipendia, cuncti modum miseriarum, exposcerent, sævitiamque centurionum ulciscerentur.* Non unus hæc, ut Pannonicas inter legiones, Percennius, nec apud trepidas militum aures, alios validiores exercitus respicientium, sed multa seditionis ora vocesque: *sua in manu sitam rem Romanam, suis victoriis augeri rempublicam in suum cognomentum adsciscì imperatores.*

32. Nec legatus obviam ibat: quippe plurium vecordia constantiam exemerat: repente lymphati, destrictis gladiis, in centuriones invadunt: ea vetustissima militaribus odiis materies, et sæviendi princi-

pium: prostratos verberibus mulcant, sexageni singulos, ut numerum centurionum adæquarent. Tum convulsos laniatosque, et partim exanimos, ante vallum, aut in amnem Rhenum projiciunt. Septimius, cum perfugisset ad tribunal, pedibusque Cæcinæ advolveretur, eo usque flagitatus est, donec ad exitium dederetur. Cassius Chærea, mox cæde C. Cæsaris memoriam apud posteros adeptus, tum adolescens, et animi ferox, inter obstantes et armatos ferro viam patefecit. Non tribunus ultra, non castrorum præfectus, jus obtinuit: vigilias, stationes, et si qua alia præsens usus indixerat, ipsi partiebantur. Id militares animos altius conjectantibus præcipuum indicium magni atque implacabilis motus, quod neque disjecti, nil paucorum instinctu, sed pariter ardescerent, pariter silerent: tanta æqualitate et constantia, ut regi crederes. Interea Germanico, per Gallias, ut diximus, census accipienti, *excessisse Augustum*, adfertur.

33. Neptem ejus, Agrippinam, in matrimonio, pluresque ex ea liberos, habebat. Ipse Druso, fratre Tiberii, genitus Augustæ nepos: sed anxius occultis in se patrui aviæque odiis, quorum causæ acriores, quia iniquæ: quippe Drusi magna apud populum Romanum memoria, credebaturque, si rerum potitus foret, libertatem redditurus: unde in Germanicum favor, et spes eadem. Nam juveni civile ingenium, mira comitas, et diversa à Tiberii sermone, vultu, arrogantibus et obscuris. Accedebant muliebres offensiones, novercalibus Liviæ in Agrippinam stimulis. atque ipsa Agrippina paulo commotior, nisi quod castitate et mariti amore quamvis indomitum animum in bonum vertebat.

34. Sed Germanicus, quanto summæ spei propior, tanto impensius pro Tiberio niti. Sequanos proximos, et Belgarum civitates in verba ejus adigit. Dehinc, audito legionum tumultu, raptim profectus, obvias extra castra habuit, dejectis in terram oculis, velut pœnitentia. Postquam vallum iniit, dissoni questus audiri cœ-

pere: et quidam, prensa manu ejus, per speciem osculandi, inseruerunt digitos, ut vacua dentibus ora contingeret: alii curvata senio membra ostendebant. Adsistentem concionem, quia permixta videbatur, *discedere in manipulos* jubet, *sic melius audituros responsum*: *vexilla præferri*, *ut id saltem discerneret cohortes*: tarde obtemperavere. Tunc *à veneratione Augusti* orsus, flexit ad *victorias triumphosque Tiberii*, præcipuis laudibus celebrans, *quæ apud Germanias illis cum legionibus pulcherrime fecisset. Italiæ* inde consensum, *Galliarum fidem* extollit, *nil usquam turbidum, aut discors.*

35. Silentio hæc, vel murmure modico audita sunt. Ut seditionem attigit, *ubi modestia militaris? ubi veteris disciplinæ decus? quonam tribunos? quo centuriones exegissent?* rogitans: nudant universi corpora, *cicatrices ex vulneribus*, *verberum notas* exprobrant: mox indiscretis vocibus *pretia vacationum*, *angustias stipendii*, *duritiam operum*, ac propriis nominibus incusant, *vallum*, *fossas*, *pabuli*, *materiæ*, *lignorum adgestus*, et si qua alia, ex necessitate, aut adversus otium castrorum quæruntur. Atrocissimus veteranorum clamor oriebatur; qui tricena, aut supra, stipendia numerantes, *mederetur fessis*, *neu mortem in iisdem laboribus*, *sed finem tam exercitæ militiæ*, *neque inopem requiem* orabant: fuere etiam, qui legatam à divo Augusto pecuniam reposcerent, faustis in Germanicum ominibus: et, si vellet imperium, promptos ostentavere. Tum vero, quasi scelere contaminaretur, præceps tribunali desiluit: opposuerunt abeunti arma, minitantes, ni regrederetur. At ille, *moriturum potius, quam fidem exueret*, clamitans, ferrum à latere deripuit, elatumque deferebat in pectus, ni proximi prensam dextram vi attinuissent: extrema et conglobata inter se pars concionis, ac, vix credibile dictu, quidam singuli, propius incedentes, *feriret*, hortabantur: et miles, nomine Calusidius, strictum obtulit gladium,

addito, *acutiorem esse*. Sævum id, malique moris, etiam furentibus visum: ac spatium fuit, quod Cæsar ab amicis in tabernaculum raperetur.

36. Consultatum ibi de remedio: etenim nuntiabatur, *parari legatos, qui superiorem exercitum ad causam eamdem traherent: destinatum excidio Ubiorum oppidum: imbutasque præda manus, in direptionem Galliarum erupturas*. Augebat metum gnarus Romanæ seditionis, et, si omitteretur ripa, invasurus hostis: ac, si auxilia et socii adversum abscedentes legiones armarentur, civile bellum suscipi: periculosa severitas; flagitiosa largitio: seu nihil militi, seu omnia concederentur, in ancipiti respub. Igitur, volutatis inter se rationibus, placitum, ut epistolæ nomine principis scriberentur: *missionem dari vicena stipendia meritis, exauctorari, qui senadena fecissent, ac retineri sub vexillo, cæterorum immunes, nisi propulsandi hostis: legata, quæ petiverant, exolvi, duplicarique*.

37. Sensit miles, in tempus conficta, statimque flagitavit: missio per tribunos maturatur: largitio differebatur in hiberna cujusque. Non abscessere quintani unetvicesimanique, donec, iisdem in æstivis, contracta ex viatico amicorum, ipsiusque Cæsaris, pecunia persolveretur. Primam ac vicesimam legiones Cæcina, legatus, in civitatem Ubiorum reduxit, turpi agmine, cum fisci de imperatore rapti, inter signa, interque aquilas, veherentur. Germanicus, superiorem ad exercitum profectus, secundam et tertiamdecumam et sextamdecumam legiones, nihil cunctatas, sacramento adigit.

38. Quartadecumani paulum dubitaverant: pecunia et missio, quamvis non flagitantibus, oblata est. At in Chaucis cœptavere seditionem præsidium agitantes vexillarii discordium legionum, et præsenti duorum militum supplicio paullum repressi sunt. Jusserat id Mennius, castrorum præfectus, bono magis exemplo, quam concesso jure: deinde, intumescente motu, profugus repertusque, postquam intutæ latebræ, præsidium ab au-

dacia mutuatur: *non præfectum ab iis, sed Germanicum ducem, sed Tiberium imperatorem violari*: simul exterritis, qui obstiterant, raptum vexillum ad ripam vertit, et, *si quis agmine decessisset, pro desertore fore*, clamitans, reduxit in hiberna turbidos, et nihil ausos.

39. Interea legati ab senatu, regressum jam, apud aram Ubiorum, Germanicum adeunt. Duæ ibi legiones prima atque vicesima, veteranique, nuper missi sub vexillo, hiemabant. Pavidos, et conscientia vecordes intrat metus, venisse patrum jussu, qui irrita facerent, quæ per seditionem expresserant: utque mos vulgo, quamvis falsis reum subdere, Munatium Plancum, consulatu functum, principem legationis, auctorem senatusconsulti incusant: et nocte concubia vexillum, in domo Germanici situm, flagitare occipiunt: concursuque ad januam facto, moliuntur fores, extractum cubili Cæsarem, tradere vexillum, intento mortis metu, subigunt: mox, vagi per vias, obvios habuere legatos, audita consternatione, ad Germanicum tendentes. Ingerunt contumelias: cædem parant: Planco maxime, quem dignitas fuga impediverat: neque aliud periclitanti subsidium, quam castra primæ legionis: illic signa et aquilam complexus, religione sese tutabatur: ac, ni aquilifer Calpurnius vim extremam arcuisset, rarum etiam inter hostes, legatus populi Romani, Romanis in castris, sanguine suo altaria Deûm commaculavisset. Luce demum, postquam dux, et miles, et facta noscebantur, ingressus castra Germanicus, perduci ad se Plancum imperat, recipitque in tribunal. Tum *fatalem* increpans *rabiem, neque militum, sed Deûm ira resurgere*, cur venerint legati, aperit: *jus legationis atque ipsius Planci gravem et immeritum casum, simul quantum dedecoris adierit legio*, facunde miseratur: attonitaque magis, quam quieta concione, legatos, præsidio auxiliarium equitum, dimittit.

40. Eo in metu arguere Germanicum omnes, *quod*

*

non ad superiorem exercitum pergeret, ubi obsequia, et contra rebelles auxilium. Satis superque missione, et pecunia, et mollibus consultis peccatum: vel si vilis ipsi salus, cur filium parvulum, cur gravidam conjugem, inter furentes, et omnis humani juris violatores, haberet? illos saltem avo et reipublicæ redderet. Diu cunctatus, aspernantem uxorem, cum *se divo Augusto ortam, neque degenerem ad pericula* testaretur, postremo uterum ejus, et communem filium, multo cum fletu, complexus, ut abiret, perpulit. Incedebat muliebre et miserabile agmen, profuga ducis uxor, parvulum sinu filium gerens: lamentantes circum amicorum conjuges, quæ simul trahebantur: nec minus tristes, qui manebant.

41. Non florentis Cæsaris, neque suis in castris, sed velut in urbe victa, facies, gemitusque ac planctus, etiam militum aures oraque advertere. Progrediuntur contuberniis: *quis ille flebilis sonus? quod tam triste? feminas illustres, non centurionem ad tutelam, non militem, nihil imperatoriæ uxoris, aut comitatus soliti, pergere ad Treveros, et externæ fidei.* Pudor inde et miseratio et patris Agrippæ, Augusti avi, memoria: socer Drusus, ipsa insigni fecunditate, præclara pudicitia: jam infans in castris genitus, in contubernio legionum eductus, quem militari vocabulo *Caligulam* appellabant, quia plerumque, ad concilianda vulgi studia, eo tegmine pedum induebatur. Sed nihil æque flexit, quam invidia in Treveros: orant, obsistunt, *rediret, maneret*: pars Agrippinæ occursantes, plurimi ad Germanicum regressi, isque, ut erat recens dolore et ira, apud circumfusos ita cœpit.

42. *Non mihi uxor aut filius patre et republica cariores sunt: sed illum quidem sua majestas, imperium Romanum, cæteri exercitus defendent: conjugem, et liberos meos, quos, pro gloria vestra, libens ad exitium offerrem, nunc procul à furentibus summoveo, ut, quidquid istud sceleris imminet, meo tantum sanguine*

pietur; neve occisus Augusti pronepos, interfecta Tiberii nurus, nocentiores vos faciat: quid enim per hos dies inausum intemeratumve vobis? Quod nomen huic cœtui dabo? militesne *appellem? qui filium imperatoris vestri vallo et armis circumsedistis. An* cives? *quibus tam projecta senatus auctoritas: hostium quoque jus, et sacra legationis, et fas gentium rupistis. Divus Julius seditionem exercitus verbo uno compescuit,* Quirites *vocando, qui sacramentum ejus detrectabant. Divus Augustus vultu et aspectu Actiacas legiones exterruit: nos, ut nondum eosdem, ita ex illis ortos, si Hispaniæ Syriæve miles aspernaretur, tamen mirum et indignum erat. Primane et vicesima legiones, illa signis à Tiberio acceptis, tu tot præliorum socia, tot præmiis aucta, egregiam duci vestro gratiam refertis? hunc ego nuntium patri, læta omnia aliis è provinciis audienti, feram? ipsius tirones, ipsius veteranos, non missione, non pecunia satiatos: hic tantum interfici centuriones, ejici tribunos, includi legatos, infecta sanguine castra, flumina: meque precariam animam inter infensos trahere?*

43. *Cur enim, primo concionis die, ferrum illud, quod pectori meo infigere parabam, detraxistis, ò improvidi amici? melius et amantius ille, qui gladium offerebat: cecidissem certe, nondum tot flagitiorum exercitui meo conscius: legissetis ducem, qui meam quidem mortem impunitam sineret, Vari tamen et trium legionum ulcisceretur. Neque enim dii sinant, ut Belgarum, quamquam offerentium, decus istud et claritudo sit, subvenisse Romano nomini, compressisse Germaniæ populos. Tua, dive Auguste, cœlo recepta mens, tua, pater Druse, imago, tui memoria, iisdem istis cum militibus, quos jam pudor et gloria intrat, eluant hanc maculam, irasque civiles in exitium hostibus vertant. Vos quoque, quorum alia nunc ora, alia pectora contueor, si legatos senatui, obsequium imperatori, si mihi conjugem ac filium redditis, discedite à contactu, ac*

dividite turbidos: id stabile ad pœnitentiam, id fidei vinculum erit.

44. Supplices ad hæc, et vera exprobrari fatentes, orabant, *puniret noxios, ignosceret lapsis, et duceret in hostem: revocaretur conjux, rediret legionum alumnus, neve obses Gallis traderetur.* Reditum Agrippinæ excusavit, ob imminentem partum et hiemem: *venturum filium: cætera ipsi exequerentur.* Discurrunt mutati, et seditiosissimum quemque victos trahunt ad legatum legionis primæ, C. Cetronium, qui judicium et pœnas de singulis, in hunc modum exercuit. Stabant pro concione legiones, destrictis gladiis: reus in suggestu per tribunum ostendebatur: si *nocentem* adclamaverant, præceps datus trucidabatur: et gaudebat cædibus miles, tanquam semet adsolveret: nec Cæsar arcebat, quando, nullo ipsius jussu, penes eosdem sævitia facti et invidia erat: secuti exemplum veterani, haud multo post in Rhætiam mittuntur, specie defendendæ provinciæ ob imminentes Suevos: cæterum, ut avellerentur castris, trucibus adhuc non minus asperitate remedii, quam sceleris memoria. Centurionatum inde egit, citatus ab imperatore, nomen, ordinem, patriam, numerum stipendiorum, quæ strenue in præliis fecisset, et cui erant donaria militaria, edebat: si tribuni, si legio, industriam innocentiamque adprobaverant, retinebat ordines: ubi avaritiam, aut crudelitatem, consensu objectavissent, solvebatur militia.

45. Sic compositis præsentibus, haud minor moles supererat, ob ferociam quintæ, et unetvicesimæ legionum, sexagesimum apud lapidem (loco *vetera* nomen est) hibernantium: nam primi seditionem cœptaverant: atrocissimum quodque facinus horum manibus patratum: nec pœna commilitonum exterriti, nec pœnitentia conversi, iras retinebant. Igitur Cæsar arma, classem, socios demittere Rheno parat, si imperium detrectetur, bello certaturus.

46. At Romæ nondum cognito, qui fuisset exitus

in Illyrico, et legionum Germanicarum motu audito, trepida civitas incusare Tiberium, *quod, dum patres et plebem, invalida et inermia, cunctatione ficta ludificetur, dissideat interim miles, neque duorum adolescentium nondum adulta auctoritate comprimi queat: ire ipsum, et opponere majestatem imperatoriam debuisse, cessuris, ubi principem longa experientia, eumdemque severitatis et munificentiæ summum, vidissent. An Augustum, fessa ætate, toties in Germanias commeare potuisse: Tiberium vigentem annis, sedere in senatu, verba patrum cavillantem? satis prospectum urbanæ servituti: militaribus animis adhibenda fomenta, ut ferre pacem velint.*

47. Immotum adversus eos sermones, fixumque Tiberio fuit, non omittere caput rerum, neque se, remque publicam in casum dare. Multa quippe et diversa angebant: *validior per Germaniam exercitus: propior apud Pannoniam: ille Galliarum opibus subnixus, hic Italiæ imminens, quos igitur anteferret? ac, ne postpositi contumelia incenderentur. At per filios pariter adiri, majestate salva; cui major è longinquo reverentia: simul adolescentibus excusatum, quædam ad patrem rejicere: resistentesque Germanico, aut Druso posse à se mitigari, vel infringi: quod aliud subsidium, si imperatorem sprevissent?* Cæterum, ut jam jamque iturus, legit comites, conquisivit impedimenta, adornavit naves: mox hiemem, haud negotia varie causatus, primo prudentes, dein vulgum, diutissime provincias fefellit.

48. At Germanicus, quamquam contracto exercitu, et parata in defectores ultione, dandum adhuc spatium ratus, si, recenti exemplo, sibi ipsi consulerent, præmittit litteras ad Cæcinam, *venire se valida manu, ac, ni supplicium in malos præsumant, usurum promiscua cæde.* Eas Cæcina aquiliferis signiferisque, et quod maxime castrorum sincerum erat, occulte recitat, *utque cunctos infamiæ, seipsos morti eximant,* hortatur.

nam in pace causas et merita spectari: *ubi bellum ingruat*, *innocentes ac noxios juxta cadere.* Illi, tentatis, quos idoneos rebantur, postquam majorem legionum partem in officio vident, de sententia legati, statuunt tempus, quo fœdissimum quemque, et seditioni promptum, ferro invadant. Tunc, signo inter se dato, irrumpunt contubernia, trucidant ignaros, nullo, nisi consciis, noscente, quod cædis initium, quis finis.

49. Diversa omnium, quæ unquam accidere, civilium armorum facies: non prælio, non adversis è castris, sed iisdem è cubilibus, quos simul vescentes dies, simul quietos nox habuerat, discedunt in partes, ingerunt tela: clamor, vulnera, sanguis palam, causa in occulto: cætera sors regit: et quidam bonorum cæsi, postquam, intellecto in quos seviretur, pessimi quoque arma rapuerant: neque legatus, aut tribunus, moderator adfuit, permissa vulgo licentia, atque ultio, et satietas. Mox ingressus castra Germanicus, *non medicinam illud*, plurimis cum lacrymis, *sed cladem* adpellans, *cremari corpora*, jubet. Truces etiam tum animos cupido involat eundi in hostem, piaculum furoris: nec aliter posse placari commilitonum manes, quam, si pictoribus impiis honesta vulnera accepissent. Sequitur ardorem militum Cæsar, junctoque ponte, tramittit duodecim millia è legionibus, sex et viginti socias cohortes, octo equitum alas, quarum ea seditione intemerata modestia fuit.

50. Læti neque procul Germani agitabant, dum justitio, ob amissum Augustum, post discordiis, attinemur. At Romanus agmine propero silvam Cæsiam, limitemque à Tiberio cœptum scindit: castra in limite locat: frontem ac tergum vallo, latera concædibus munitus. Inde saltus obscuros permeat, consultatque, *ex duobus itineribus breve et solitum sequatur*: *an impeditius et intentatum*, *eoque hostibus incautum.* Delecta longiore via, cætera accelerantur: etenim attulerant exploratores, *festum eam Germanis noctem*, *ac*

solemnibus epulis ludicram. Cæcina cum expeditis cohortibus præire, et obstantia silvarum amoliri jubetur: legiones modico intervallo sequuntur. Juvit nox sideribus illustris: ventumque ad vicos Marsorum, et circumdatæ stationes stratis etiam tum per cubilia, propterque mensas, nullo metu, non antepositis vigiliis: adeo cuncta incuria disjecta erant: neque belli timor: ac ne pax quidem, nisi languida, et soluta, inter temulentos.

51. Cæsar avidas legiones, quo latior populatio foret, quatuor in cuneos dispertit: quinquaginta millium spatium ferro flammisque pervastat: non sexus, non ætas miserationem attulit; profana simul et sacra, et celeberrimum illis gentibus templum, quod *Tanfanæ* vocabant, solo æquantur: sine vulnere milites, qui semisomnos, inermes, aut palantes ceciderant. Excivit ea cædes Bructeros, Tubantes, Usipetes, saltusque, per quos exercitui regressus, insedere: quod gnarum duci: incessitque itineri et prælio: pars equitum, et auxiliariæ cohortes ducebant: mox prima legio: et mediis impedimentis, sinistrum latus unetvicesimani, dextrum quintani clausere: vicesima legio terga firmavit: post cæteri sociorum. Sed hostes, donec agmen per saltus porrigeretur, immoti: dein latera, et fronte modice adsultantes, tota vi novissimos incurrere: turbabanturque densis Germanorum catervis leves cohortes, cum Cæsar advectus ad vicesimanos, voce magna, *hoc illud tempus obliterandæ seditionis*, clamitabat: *pergerent, properarent culpam in decus vertere.* Exarsere animis, unoque impetu perruptum hostem redigunt in aperta, cæduntque: simul primi agminis copiæ evasere silvas, castraque communivere. Quietum inde iter, fidensque recentibus, ac priorum oblitus miles, in hibernis locatur. *Ex Libro I.*

M. TULII CICERONIS

PRO LEGE MANILIA, SEU DE IMPERATORE POMPEJO DELIGENDO AD POPULUM

ORATIO.

Exordium.

1. Quamquam mihi semper frequens conspectus vester multo jucundissimus; hic autem locus, ad agendum amplissimus, ad dicendum ornatissimus est visus, Quirites: tamen hoc aditu laudis, qui semper optimo cuique maxime patuit, non mea me voluntas, sed meæ vitæ rationes ab ineunte ætate susceptæ, prohibuerunt. Nam, cum antea per ætatem nondum hujus auctoritatem loci contingere auderem; statueremque, nihil huc, nisi perfectum ingenio, elaboratum industria, afferri oportere: omne meum tempus amicorum temporibus transmittendum putavi. Ita neque hic locus vacuus unquam fuit ab iis, qui vestram causam defenderent; et meus labor in privatorum periculis caste integreque versatus, ex vestro judicio fructum est amplissimum consecutus. Nam cum propter dilationem comitiorum ter prætor primus centuriis cunctis renunciatus sum, facile intellexi, Quirites, et quid de me judicaretis, et quid aliis præscriberetis. Nunc cum et auctoritatis in me tantum sit, quantum vos honoribus mandandis esse voluistis; et ad agendum facultatis tantum, quantum homini vigilanti ex forensi usu

prope quotidiana dicendi exercitatio potuit afferre: certe, et si quid auctoritatis in me est, ea apud eos utar, qui eam mihi dederunt; et si quid etiam dicendo consequi possum, iis ostendam potissimum, qui ei quoque rei fructum suo judicio tribuendum esse censuerunt. Atque illud in primis mihi lætandum jure esse video, quod in hac insolita mihi ex hoc loco ratione dicendi, causa talis oblata est, in qua oratio deesse nemini potest. Dicendum est enim de Cn. Pompeji singulari eximiaque virtute: hujus autem orationis difficilius est exitum, quam principium invenire. Ita mihi non tam copia, quam modus in dicendo quærendus est.

Narratio.

2. Atque ut inde oratio mea proficiscatur, unde hæc omnis causa ducitur: bellum grave et periculosum vestris vectigalibus atque sociis, à duobus potentissimis regibus infertur, Mithridate, et Tigrane: quorum alter relictus, alter lacessitus, occasionem sibi ad occupandam Asiam oblatam esse arbitratur. Equitibus Romanis, honestissimis viris, afferuntur ex Asia quotidie litteræ, quorum magnæ res aguntur, in vestris vectigalibus exercendis occupatæ: qui ad me pro necessitudine, quæ mihi est cum illo ordine, causam reipublicæ, periculaque rerum suarum detulerunt: Bithyniæ, quæ nunc vestra provincia est, vicos exustos esse complures: regnum Ariobarzanis, quod finitimum est vestris vectigalibus, totum esse in hostium potestate: Lucullum, magnis rebus gestis, ab eo bello discedere: huic qui successerit, non satis esse paratum ad tantum bellum administrandum: unum ab omnibus sociis et civibus ad id bellum imperatorem deposci atque expeti: eumdem hunc unum ab hostibus metui, præterea neminem.

Divisio.

Causa quæ sit, videtis: nunc, quid agendum sit, considerate. Primum mihi videtur de genere belli: deinde de magnitudine: tum de imperatore deligendo esse dicendum.

Confirm. prima pars.

Genus est enim ejusmodi, quod maxime vestros animos excitare atque inflammare debet: in quo agitur populi Romani gloria, quæ vobis à majoribus, cum magna in rebus omnibus, tum summa in re militari tradita est: agitur salus sociorum, atque amicorum, pro qua multa majores vestri magna et gravia bella gesserunt: aguntur certissima populi Romani vectigalia, et maxima, quibus amissis, et pacis ornamenta, et subsidia belli requiretis: aguntur bona multorum civium, quibus est à vobis, et ipsorum, et reipublicæ causâ consulendum.

3. Et quoniam semper appetentes gloriæ præter cæteras gentes, atque avidi laudis fuistis, delenda vobis est illa macula, Mithridatico bello superiore suscepta: quæ penitus jam insedit, atque inveteravit in populi Romani nomine, quod is, qui uno die tota Asia, tot in civitatibus, uno nuntio, atque una litterarum significatione cives Romanos necandos, trucidandosque denotavit, non modo adhuc pœnam nullam, suo dignam scelere suscepit, sed ab illo tempore annum jam tertium et vicesimum regnat: et ita regnat, ut se non Ponto, neque Cappadociæ latebris occultare velit, sed emergere à patrio regno, atque in vestris vectigalibus, hoc est, in Asiæ luce versari. Etenim adhuc ita vestri cum illo rege contenderunt imperatores, ut ab illo insignia victoriæ, non victoriam reportarent. Triumphavit L. Sylla, triumphavit L. Murena de Mithridate, duo fortissimi viri, et summi im-

peratores: sed ita triumpharunt, ut ille pulsus superatusque regnaret. Verumtamen illis imperatoribus laus est tribuenda, quod egerunt: venia danda, quod reliquerunt: propterea quod ab eo bello Syllam in Italiam respublica, Murenam Sylla revocavit.

4. Mithridates autem omne reliquum tempus non ad oblivionem veteris belli, sed ad comparationem novi contulit: qui posteaquam maximas ædificasset, ornassetque classes; exercitusque permagnos, quibuscumque ex gentibus potuisset, comparasset, et se Bosphoranis, finitimis suis, bellum inferre simulasset: usque in Hispaniam legatos Ecbatanis misit ad eos duces, quibuscum tum bellum gerebamus: ut, cum duobus in locis disjunctissimis, maximeque diversis uno consilio, à binis hostium copiis bellum terra marique gereretur, vos ancipiti contentione districti, de imperio dimicaretis. Sed tamen alterius partis periculum, Sertorianæ, atque Hispaniensis, quæ multo plus firmamenti ac roboris habebat, Cn. Pompeji divino consilio ac singulari virtute depulsum est: in altera parte ita res à L. Lucullo, summo viro, est administrata, ut initia illa gestarum rerum magna atque præclara, non felicitati ejus, sed virtuti; hæc autem extrema, quæ nuper acciderunt, non culpæ, sed fortunæ tribuenda esse videantur. Sed de Lucullo dicam alio loco, et ita dicam, Quirites, ut neque vera laus ei detracta oratione nostra, neque falsa afficta esse videatur. De vestri imperii dignitate, atque gloria, quoniam is est exorsus orationis meæ, videte, quem vobis animum suscipiendum putetis.

5. Majores vestri sæpe, mercatoribus ac naviculatoribus injuriosius tractatis, bella gesserunt: vos tot civium Romanorum millibus, uno nuntio, atque uno tempore necatis, quo tandem animo esse debetis? Legati quod erant appellati superbius, Corinthum patres vestri, totius Græciæ lumen, extinctum esse voluerunt: vos eum regem inultum esse patiemini, qui le-

gatum populi Romani, consularem, vinculis ac verberibus, atque omni supplicio excruciatum necavit? Illi libertatem civium Romanorum imminutam non tulerunt: vos vitam ereptam negligetis? Jus legationis verbo violatum illi persecuti sunt: vos legatum populi Romani, omni supplicio interfectum, inultum relinquetis? Videte, ne, ut illis pulcherrimum fuit, tantam vobis imperii gloriam relinquere; sic vobis turpissimum sit, illud, quod accepistis, tueri et conservare non posse.

Quid, quod salus sociorum summum in periculum ac discrimen vocatur? Regno expulsus est Ariobarzanes, rex, socius populi Romani atque amicus: imminent duo reges toti Asiæ, non solum vobis inimicissimi, sed etiam vestris sociis atque amicis: civitates autem omnes, cuncta Asia atque Græcia vestrum auxilium expectare, propter periculi magnitudinem, coguntur: imperatorem à vobis certum deposcere, cum præsertim vos alium miseritis, neque audent, neque id se facere summo sine periculo posse arbitrantur. Vident et sentiunt hoc idem, quod vos, unum virum esse, in quo summa sint omnia, et eum prope esse: quo etiam carent ægrius: cujus adventu ipso atque nomine, tametsi ille ad maritimum bellum venerit, tamen impetus hostium repressos esse intelligunt ac retardatos. Hi vos, quoniam libere loqui non licet, tacite rogant, ut se quoque, sicut cæterarum provinciarum socios, dignos existimetis, quorum salutem tali viro commendetis. Atque hoc etiam magis, quam cæteros; quod ejusmodi in provinciam homines cum imperio mittimus, ut, etiam si ab hoste defendant, tamen ipsorum adventus in urbes sociorum, non multum ab hostili expugnatione differant. Hunc audiebant antea, nunc præsentem vident, tanta temperantia, tanta mansuetudine, tanta humanitate, ut ii beatissimi esse videantur, apud quos ille diutissime commoratur.

Quare, si propter socios, nulla ipsi injuria lacessiti, majores vestri cum Antiocho, cum Philippo,

cum Ætolis, cum Pœnis bella gesserunt: quanto vos studio convenit, injuriis provocatos, sociorum salutem una cum imperii vestri dignitate defendere, præsertim cum de vestris maximis vectigalibus agatur? Nam cæterarum provinciarum vectigalia, Quirites, tanta sunt, ut iis ad ipsas provincias tutandas vix contenti esse possimus: Asia verò tam opima est et fertilis, ut et ubertate agrorum, et varietate fructuum, et magnitudine pastionis, et multitudine earum rerum, quæ exportantur, facile omnibus terris antecellat. Itaque hæc vobis provincia, Quirites, si et belli utilitatem, et pacis dignitatem sustinere vultis, non modo à calamitate, sed etiam à metu calamitatis est defendenda. Nam cæteris in rebus, cum venit calamitas, tum detrimentum accipitur: at in vectigalibus non solum adventus mali, sed etiam metus ipse affert calamitatem. Nam cum hostium copiæ non longe absunt, etiam si irruptio facta nulla sit, tamen pecora relinquuntur, agricultura deseritur, mercatorum navigatio conquiescit. Ita neque ex portu, neque ex decumis, neque ex scriptura vectigal conservari potest. Quare sæpe totius anni fructus uno rumore periculi, atque uno belli terrore amittitur. Quo tandem animo esse existimatis aut eos, qui vectigalia nobis pensitant, aut eos, qui exercent atque exigunt, cum duo reges cum maximis copiis prope adsint? Cum una excursio equitatus perbrevi tempore totius anni vectigal auferre possit? cum publicani familias maximas, quas in Salinis habent, quas in agris, quas in portubus atque custodiis, magno periculo se habere arbitrentur? Putatisne vos illis rebus frui posse, nisi eos, qui vobis fructuosi sunt, conservaveritis, non solum (ut antea dixi) calamitate, sed etiam calamitatis formidine liberatos?

7. Ac ne illud quidem vobis negligendum est, quod mihi ego extremum proposueram, cum essem de belli genere dicturus, quod ad multorum bona civium Romanorum pertinet: quorum vobis, pro vestra sa-

pientia, Quirites, habenda est ratio diligenter. Nam et publicani, homines et honestissimi et ornatissimi suas rationes, et copias in illam provinciam contulerunt: quorum ipsorum per se res et fortunæ curæ vobis esse debent. Etenim si vectigalia, nervos esse reipublicæ semper duximus: eum certe ordinem, qui exercet illa, firmamentum cæterorum ordinum recte esse dicemus. Deinde cæteris ex ordinibus homines gnavi et industrii partim in Asia negotiantur, quibus vos absentibus consulere debetis: partim suas, et suorum in ea provincia pecunias magnas collocatas habent. Erit igitur humanitatis vestræ, magnum eorum civium numerum calamitate prohibere: sapientiæ, videre multorum civium calamitatem à republica sejunctam esse non posse. Etenim illud primum parvi refert, vos publicanis amissa vectigalia postea victoria recuperare. Neque enim iisdem redimendi facultas erit propter calamitatem, neque aliis voluntas, propter timorem. Deinde, quod nos eadem Asia, atque idem iste Mithridates initio belli Asiatici docuit; id quidem certe calamitate docti memoria retinere debemus. Nam tum, cum in Asia res magnas permulti amiserunt, scimus Romæ, solutione impedita, fidem concidisse. Non enim possunt una in civitate multi rem atque fortunas amittere, ut non plures secum in eamdem calamitatem trahant. A quo periculo prohibete rempublicam, et mihi credite id, quod ipsi videtis: hæc fides, atque hæc ratio pecuniarum, quæ Romæ, quæ in foro versatur, implicita est cum illis pecuniis Asiaticis, et cohæret. Ruere illa non possunt, ut hæc non eodem labefactata motu concidant. Quare videte, num dubitandum vobis sit omni studio ad id bellum incumbere, in quo gloria nominis vestri, salus sociorum, vectigalia maxima, fortunæ plurimorum civium cum republica defenduntur.

Confirm. secunda pars.

8. Quoniam de genere belli dixi, nunc de magnitudine pauca dicam. Potest enim hoc dici; belli genus esse ita necessarium, ut sit gerendum: non esse ita magnum, ut sit pertimescendum. In quo maxime laborandum est, ne forte à vobis, quæ diligentissime providenda sunt, contemnenda esse videantur. Atque, ut omnes intelligant, me L. Lucullo tantum impertiri laudis, quantum forti viro et sapientissimo homini, et magno imperatori debeatur: dico, ejus adventu maximas Mithridatis copias omnibus rebus ornatas atque instructas fuisse: urbemque Asiæ clarissimam, nobisque amicissimam Cyzicenorum, obsessam esse ab ipso rege maxima multitudine, et oppugnatam vehementissime, quam L. Lucullus virtute, assiduitate, consilio, summis obsidionis periculis liberavit; ab eodem imperatore classem magnam et ornatam, quæ ducibus Sertorianis ad Italiam studio inflammato raperetur, superatam esse, atque depressam: magnas hostium præterea copias multis præliis esse deletas: patefactumque nostris legionibus esse Pontum, qui ante populo Romano ex omni aditu clausus esset: Sinopem, atque Amisum, quibus in oppidis erant domicilia regis, omnibus rebus ornata atque referta, cæterasque urbes Ponti, et Cappadociæ permultas, uno aditu atque adventu esse captas: regem spoliatum regno patrio atque avito, ad alios se reges, atque alias gentes supplicem contulisse: atque hæc omnia, salvis populi Romani sociis, atque integris vectigalibus, esse gesta. Satis opinor hoc esse laudis: atque ita, Quirites, ut hoc vos intelligatis, à nullo istorum, qui huic obtrectant legi atque causæ, L. Lucullum similiter ex hoc loco esse laudatum.

9. Requiretur fortasse nunc, quemadmodum, cum hæc ita sint, reliquum possit esse magnum bellum. Cognoscite, Quirites, non enim hoc sine causa quæ-

ri videtur. Primum ex suo regno sic Mithridates profugit, ut ex eodem Ponto Medea illa quondam profugisse dicitur: quam prædicant in fuga, fratris sui membra in iis locis, qua se parens persequeretur, dissipavisse, ut eorum collectio dispersa, mærorque patrius, celeritatem persequendi retardaret. Sic Mithridates fugiens, maximam vim auri atque argenti, pulcherrimarumque rerum omnium, quas et à majoribus acceperat, et ipse bello superiore ex tota Asia direptas, in suum regnum congesserat, in Ponto omnem reliquit. Hæc dum nostri colligunt omnia diligentius, rex ipse è manibus effugit. Ita illum in persequendi studio mæror, hos lætitia retardavit. Hunc in illo timore et fuga Tigranes, rex Armenius, excepit; diffidentemque rebus suis confirmavit, et afflictum erexit, perditumque recreavit. Cujus in regnum posteaquam L. Lucullus cum exercitu venit: plures etiam gentes contra imperatorem nostrum concitatæ sunt. Erat enim metus injectus iis nationibus, quas nunquam populus Romanus, neque lacessendas bello, neque tentandas putavit. Erat etiam alia gravis atque vehemens opinio, quæ per animos gentium barbararum pervaserat, fani locupletissimi et religiosissimi diripendi causa in eas oras nostrum exercitum esse adductum. Ita nationes multæ atque magnæ novo quodam terrore ac metu concitabantur. Noster autem exercitus, etsi urbem ex Tigranis regno ceperat, et præliis usus erat secundis, tamen nimia longinquitate locorum, ac desiderio suorum commovebatur. Hic jam plura non dicam. Fuit enim illud extremum, ut ex iis locis à militibus nostris reditus magis maturus, quam processio longior quæreretur. Mithridates autem et suam manum jam confirmarat, et eorum, qui se ex ejus regno collegerant, et magnis adventitiis multorum regum et nationum copiis juvabatur. Hoc jam fere sic fieri solere accepimus, ut regum afflictæ fortunæ facile multorum opes alliciant ad misericordiam, maximeque eorum, qui aut reges sunt,

aut vivunt in regno; quod regale iis nomen magnum et sanctum esse videatur. Itaque tantum victus efficere potuit, quantum incolumis nunquam ausus est optare. Nam cum se in regnum recepisset suum, non fuit eo contentus, quod ei præter spem acciderat, ut illam, posteaquam pulsus erat, terram unquam attingeret: sed in exercitum vestrum, clarum atque victorem, impetum fecit. Sinite hoc loco, Quirites (sicut poëtæ solent, qui res Romanas scribunt) præterire me nostram calamitatem: quæ tanta fuit, ut eam ad aures L. Luculli non ex prælio nuntius, sed ex sermone rumor afferret. Hic in ipso illo malo, gravissimaque belli offensione, L. Lucullus, qui tamen aliqua ex parte iis incommodis mederi fortasse potuisset, vestro jussu coactus, quod imperii diuturnitati modum statuendum veteri exemplo putavistis, partem militum, qui jam stipendiis confectis erant, dimisit, partem Glabrioni tradidit. Multa prætereo consulto; sed ea vos conjectura perspicitis, quantum illud bellum futurum putetis, quod conjungant reges potentissimi, renovent agitatæ nationes, suscipiant integræ gentes, novus imperator vester accipiat, vetere pulso exercitu.

Confirm. 3.ª *pars.*

10. Satis mihi multa verba fecisse videor, quare hoc bellum esset genere ipso necessarium, magnitudine periculosum. Restat, ut de imperatore ad id bellum deligendo, ac tantis rebus præficiendo, dicendum esse videatur. Utinam, Quirites, virorum fortium atque innocentium copiam tantam haberetis, ut hæc vobis deliberatio difficilis esset, quemnam potissimum tantis rebus ac tanto bello præficiendum putaretis! Nunc vero cum sit unus Cn. Pompejus, qui non modo eorum hominum, qui nunc sunt, gloriam, sed etiam antiquitatis memoriam virtute superarit: quæ res est, quæ cujusquam animum in hac causa dubium facere possit?

Ego enim sic existimo, in summo imperatore quatuor has res inesse oportere, scientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, felicitatem.

Quis igitur hoc homine scientior unquam aut fuit, aut esse debuit? qui è ludo atque pueritiæ disciplina, bello maximo, atque acerrimis hostibus, ad patris exercitum, atque in militiæ disciplinam profectus est? Qui extrema pueritia miles fuit summi imperatoris? Ineunte adolescentia maximi ipse exercitus imperator? Qui sæpius cum hoste conflixit, quam quisquam cum inimico concertavit? Plura bella gessit, quam cæteri legerunt? Plures provincias confecit, quam alii concupiverunt? Cujus adolescentia ad scientiam rei militaris non alienis præceptis, sed suis imperiis; non offensionibus belli, sed victoriis; non stipendiis, sed triumphis est erudita? Quod denique genus belli esse potest, in quo illum non exercuerit fortuna reipublicæ? Civile, Africanum, Transalpinum, Hispaniense, mixtum ex civitatibus atque ex bellicosissimis nationibus, servile, navale bellum. Varia et diversa genera et bellorum et hostium, non solum gesta ab hoc uno, sed etiam confecta, nullam rem esse declarant, in usu militari positam, quæ hujus viri scientiam fugere possit.

11. Jam vero virtuti Cn. Pompeji quæ potest par oratio inveniri? Quid est, quod quisquam aut dignum illo, aut vobis novum, aut cuiquam inauditum possit afferre? Neque enim illæ sunt solæ virtutes imperatoriæ, quæ vulgo existimantur, labor in negotio, fortitudo in periculis, industria in agendo, celeritas in conficiendo, consilium in providendo: quæ tanta sunt in hoc uno, quanta in omnibus reliquis imperatoribus, quos aut vidimus, aut audivimus, non fuerunt. Testis est Italia, quam ille ipse victor, L. Sylla, hujus virtute et subsidio confessus est liberatam. Testis est Sicilia, quam multis undique cinctam periculis, non terrore belli, sed celeritate consilii, explicavit. Tes-

tis est Africa, quæ magnis oppressa hostium copiis, eorum ipsorum sanguine redundavit. Testis est Gallia, per quam legionibus nostris in Hispaniam iter Gallorum internecione patefactum est. Testis est Hispania, quæ sæpissime plurimos hostes ab hoc superatos prostratosque conspexit. Testis et iterum et sæpius Italia, quæ cum servili bello tetro periculosoque premeretur, ab hoc auxilium absente expetivit: quod bellum expectatione Pompeji attenuatum atque imminutum est; adventu sublatum ac sepultum. Testes vero jam omnes oræ, atque omnes exteræ gentes ac nationes: denique maria omnia, tum universa, tum in singulis oris omnes sinus atque portus. Quis enim toto mari locus per hos annos aut tam firmum habuit præsidium, ut tutus esset, aut tam fuit abditus, ut lateret? Quis navigavit, qui non se aut mortis, aut servitutis periculo committeret, cum aut hieme, aut referto prædonum mari navigaret? Hoc tantum bellum, tam turpe, tam vetus, tam late divisum atque dispersum, quis unquam arbitraretur aut ab omnibus imperatoribus uno anno, aut omnibus annis ab uno imperatore confici posse? Quam provinciam tenuistis à prædonibus liberam per hosce annos? Quod vectigal vobis tutum fuit? Quem socium defendistis? Cui præsidio classibus vestris, fuistis? Quam multas existimatis insulas esse desertas? Quam multas aut metu relictas, aut à prædonibus captas urbes esse sociorum?

12. Sed quid ego longinqua commemoro? Fuit hoc quondam, fuit proprium populi Romani longe à domo bellare, et propugnaculis imperii sociorum fortunas, non sua tecta defendere. Sociis ego vestris mare clausum per hosce annos dicam fuisse, cum exercitus nostri à Brundusio nunquam, nisi summa hieme transmiserint? Qui ad vos ab exteris nationibus venirent, captos querar; cum legati populi Romani redempti sint? Mercatoribus tutum mare non fuisse dicam, cum duodecim secures in prædonum potestatem

pervenerint ? Gnidum, aut Colophonem, aut Samum, nobilissimas urbes, innumerabilesque alias captas esse commemorem, cum vestros portus, atque eos portus, quibus vitam et spiritum ducitis, in prædonum fuisse potestate sciatis ? An vero ignoratis, portum Caietæ celeberrimum, atque plenissimum navium, inspectante prætore, à prædonibus esse direptum ? Ex Miseno autem, ejus ipsius liberos, qui cum prædonibus antea ibi bellum gesserat, à prædonibus esse sublatos ? Nam quid ego Ostiense incommodum, atque illam labem atque ignominiam reipublicæ quærar, cum prope inspectantibus vobis classis ea, cui consul populi Romani præpositus esset, à prædonibus capta atque oppressa est ? Proh dii immortales ! tantamne unius hominis incredibilis ac divina virtus tam brevi tempore lucem afferre reipublicæ potuit, ut vos, qui modo ante ostium Tiberinum classem hostium videbatis, ii nunc nullam intra Oceani ostium, prædonum navem esse audiatis ? Atque hæc qua celeritate gesta sint, quamquam videtis, tamen à me in dicendo prætereunda non sunt. Quis enim unquam, aut obeundi negotii, aut consequendi quæstus studio, tam brevi tempore tot loca adire, tantos cursus conficere potuit, quam celeriter, Cn. Pompejo duce, belli impetus navigavit ? Qui nondum tempestivo ad navigandum mari Siciliam adiit, Africam exploravit : inde Sardiniam cum classe venit : atque hæc tria frumentaria subsidia reipublicæ firmissimis præsidiis, classibusque munivit. Inde, se cum in Italiam recepisset, duabus Hispaniis, et Gallia Cisalpina præsidiis ac navibus confirmata, missis item in oram Illirici maris, et in Achajam, omnemque Græciam navibus, Italiæ duo maria maximis classibus, firmissimisque præsidiis adornavit: ipse autem, ut à Brundusio profectus est, undequinquagesimo die totam ad imperium populi Romani Ciliciam adjunxit: omnes, qui ubique prædones fuerunt, partim capti, interfectique sunt; partim unius hujus imperio ac potestati se dediderunt.

Idem Cretensibus, cum ad eum usque in Pamphyliam legatos deprecatoresque misissent, spem deditionis non ademit, obsidesque imperavit. Ita tantum bellum, tam diuturnum, tam longe lateque dispersum, quo bello omnes gentes ac nationes premebantur, Cn. Pompejus extrema hieme apparavit, ineunte vere suscepit, media æstate confecit.

13. Est hæc divina atque incredibilis virtus imperatoris. Quid cæteræ, quas paulo ante commemorare cœperam, quantæ atque quam multæ sunt? Non enim solum bellandi virtus in summo atque perfecto imperatore quærenda est: sed multæ sunt artes eximiæ, hujus administræ comitesque virtutis. Ac primum quanta innocentia debent esse imperatores? quanta deinde omnibus in rebus temperantia? quanta fide? quanta facilitate? quanto ingenio? quanta humanitate? Quæ breviter, qualia sint in Cn. Pompejo, consideremus. Summa enim omnia sunt, Quirites: sed ea magis ex aliorum contentione, quam ipsa per sese cognosci atque intelligi possunt.

Quem enim possumus imperatorem aliquo in numero putare, cujus in exercitu veneant centuriatus, atque venierint? Quid hunc hominem magnum, aut amplum de republica cogitare, qui pecuniam ex ærario depromptam ad bellum administrandum, aut propter cupiditatem provinciæ magistratibus diviserit, aut propter avaritiam Romæ in quæstu reliquerit? Vestra admurmuratio facit, Quirites, ut agnoscere videamini, qui hæc fecerint: ego autem neminem nomino: quare irasci mihi nemo poterit, nisi qui ante de se voluerit confiteri. Itaque propter hanc avaritiam imperatorum, quantas calamitates, quocumque ventum sit, nostri exercitus ferant, quis ignorat? Itinera, quæ per hosce annos in Italia per agros atque oppida civium Romanorum nostri imperatores fecerunt, recordamini. Tum facilius statuetis, quid apud exteras nationes fieri existimetis. Utrum plures arbitramini per hosce annos mi-

litum vestrorum armis, hostium urbes, an hibernis, sociorum civitates esse deletas? Neque enim potest exercitum is continere imperator, qui se ipsum non continet: neque severus esse in judicando, qui alios in se severos esse judices non vult. Hîc miramur, hunc hominem tantum excellere cæteris, cujus legiones sic in Asiam pervenerunt, ut non modo manus tanti exercitus, sed ne vestigium quidem cuiquam pacato nocuisse dicatur? Jam vero, quemadmodum milites hibernent, quotidie sermones ac litteræ perferuntur: non modo, ut sumptum faciat in militem, nemini vis affertur; sed ne cupienti quidem cuiquam permittitur. Hiemis enim, non avaritiæ perfugium majores nostri in sociorum atque amicorum tectis esse voluerunt.

14. Age vero cæteris in rebus quali sit temperantia, considerate. Unde illam tantam celeritatem et tam incredibilem cursum inventum putatis? Non enim illum eximia vis remigum, aut ars inaudita quædam gubernandi, aut venti aliqui novi, tam celeriter in ultimas terras pertulerunt: sed hæ res, quæ cæteros remorari solent, non retardarunt: non avaritia ab instituto cursu ad prædam aliquam devocavit, non libido ad voluptatem, non amœnitas ad delectationem, non nobilitas urbis ad cognitionem, non denique labor ipse ad quietem: postremo signa et tabulas, cæteraque ornamenta Græcorum oppidorum, quæ cæteri tollenda esse arbitrantur, ea sibi ille ne visenda quidem existimavit. Itaque omnes quidem nunc in his locis Cn. Pompejum, sicut aliquem non ex hac urbe missum, sed de cœlo delapsum, intuentur: nunc denique incipiunt credere, fuisse homines Romanos hac quondam abstinentia: quod jam nationibus exteris incredibile, ac falso memoriæ proditum videbatur. Nunc imperii nostri splendor illis gentibus lucet: nunc intelligunt, non sine causa majores suos tum, cum hac temperantia magistratus habebamus, servire populo Romano, quam imperare aliis, maluisse.

Jam vero ita faciles aditus ad eum privatorum, ita liberæ querimoniæ de aliorum injuriis esse dicuntur; ut is, qui dignitate principibus excellit, facilitate par infimis esse videatur.

Jam quantum consilio, quantum dicendi gravitate et copia valeat, in quo ipso inest quædam dignitas imperatoria, vos, Quirites, hoc ipso in loco sæpe cognostis.

Fidem vero ejus inter socios quantam existimari putatis, quam hostes omnium gentium sanctissimam judicarint? Humanitate jam tanta est, ut difficile dictu sit, utrum hostes magis virtutem ejus pugnantes timuerint, an mansuetudinem victi dilexerint. Et quisquam dubitabit, quin huic tantum bellum transmittendum sit, qui ad omnia nostræ memoriæ bella conficienda, divino quodam consilio natus esse videatur?

15. Et quoniam auctoritas multum in bellis quoque administrandis, atque imperio militari valet; certe nemini dubium est, quin ea re idem ille imperator plurimum possit. Vehementer autem pertinere ad bella administranda, quid hostes, quid socii de imperatoribus vestris existiment, quis ignorat, cum sciamus, homines in tantis rebus, ut aut contemnant, aut metuant, aut oderint, aut ament, opinione non minus famæ, quam aliqua certa ratione commoveri? Quod igitur nomen unquam in orbe terrarum clarius fuit? Cujus res gestæ pares? De quo homine vos, id quod maxime facit auctoritatem, tanta et tam præclara judicia fecistis? An vero ullam usquam esse oram tam desertam putatis, quò non illius diei fama pervaserit, cum universus populus Romanus referto foro, repletisque omnibus templis, ex quibus hic locus conspici potest, unum sibi ad commune omnium gentium bellum Cn. Pompejum imperatorem depoposcit? Itaque, ut plura non dicam, neque aliorum exemplis confirmem, quantum hujus auctoritas valeat in bello; ab eodem Cn. Pompejo omnium rerum egregiarum exempla suman-

tur; qui quo die à vobis maritimo bello præpositus est imperator, tanta repente vilitas annonæ ex summa inopia et caritate rei frumentariæ consecuta est, unius hominis spe et nomine, quantam vix ex summa ubertate agrorum diuturna pax efficere potuisset. Jam accepta in Ponto calamitate ex eo prælio, de quo vos paulo ante invitus admonui; cum socii pertimuissent; hostium opes animique crevissent; cum satis firmum præsidium provincia non haberet; amisissetis Asiam, Quirites; nisi ad ejus temporis discrimen id ipsum divinitus Cn. Pompejum ad eas regiones fortuna populi Romani attulisset. Hujus adventus et Mithridatem insolita inflammatum victoria continuit, et Tigranem magnis copiis minitantem Assiæ retardavit. Et quisquam dubitabit, quid virtute perfecturus sit, qui tantum auctoritate perfecerit? aut quam facile imperio atque exercitu socios et vectigalia conservaturus sit, qui ipso nomine ac rumore defenderit?

16. Age vero, illa res quantum declarat ejusdem hominis apud hostes populi Romani auctoritatem, quod ex locis tam longinquis, tamque diversis, tam brevi tempore omnes una huic se dediderunt? Quod Cretensium legati, cum in eorum insula noster imperator exercitusque esset, ad Cn. Pompejum in ultimas prope terras venerunt, eique se omnes Cretensium civitates dedere velle dixerunt? Quid? idem iste Mithridates, nonne ad eumdem Cn. Pompejum, legatum usque in Hispaniam misit? Eumque Pompejus legatum semper judicavit; ii, quibus semper erat molestum, ad eum potissimum esse missum, speculatorem, quam legatum judicari maluerunt? Potestis igitur jam constituere, Quirites, hanc auctoritatem multis postea rebus gestis, magnisque vestris judiciis amplificatam, quantum apud illos reges, quantum apud exteras nationes valituram esse existimetis.

Reliquum est, ut de felicitate, quam præstare de se ipso nemo potest, meminisse et commemora-

re de altero possumus, sicut æquum est homini de potestate deorum, timide et pauca dicamus. Ego enim sic existimo: Maximo, Marcello, Scipioni, Mario, et cæteris magnis imperatoribus, non solum propter virtutem, sed etiam propter fortunam, sæpius imperia mandata, atque exercitus esse commissos. Fuit enim profecto quibusdam summis viris quædam ad amplitudinem et gloriam, et ad res magnas bene gerendas divinitus adjuncta fortuna. De hujus autem hominis felicitate, quo de nunc agimus, hac utar moderatione dicendi, non ut in illius potestate fortunam positam esse dicam, sed ut præterita meminisse, reliqua sperare videamur, ne aut invisa diis immortalibus oratio nostra, aut ingrata esse videatur. Itaque non sum prædicaturus, Quirites, quantas ille res domi militiæque, terra marique, quantaque felicitate gesserit: ut ejus semper voluntatibus non modo cives assenserint, socii obtemperarint, hostes obedierint, sed etiam venti tempestatesque obsecundarint. Hoc brevissime dicam, neminem unquam tam impudentem fuisse, qui à diis immortalibus tot et tantas res tacitus auderet optare, quot et quantas dii immortales ad Cn. Pompejum detulerunt. Quod ut illi proprium ac perpetuum sit, Quirites, cum communis salutis atque imperii, tum ipsius hominis causa (sicuti facitis) velle et optare debetis. Quare cum et bellum ita necessarium sit, ut negligi non possit: ita magnum, ut accuratissime sit administrandum: et cum ei imperatorem præficere possitis, in quo sit eximia belli scientia, singularis virtus, clarissima auctoritas, egregia fortuna: dubitabitis, Quirites, quin hoc tantum boni, quod vobis à diis immortalibus oblatum et datum est, in rempublicam conservandam atque amplificandam conferatis?

17. Quod si Romæ Cn. Pompejus privatus esset hoc tempore; tamen ad tantum bellum is erat deligendus atque mittendus: nunc, cum ad cæteras summas uti-

litates hæc quoque opportunitas adjungatur, ut in iis ipsis locis adsit, ut habeat exercitum, ut ab iis, qui habent, accipere statim possit: quid expectamus? aut cur non, ducibus diis immortalibus, eidem, cui cætera summa cum salute reipublicæ commissa sunt, hoc quoque bellum regium committimus?

Refutatio.

At enim vir clarissimus, amantissimus reipublicæ, vestris beneficiis amplissimis affectus, Q. Catulus; itemque summis ornamentis honoris, fortunæ, virtutis, ingenii præditus, Q. Hortensius, ab hac ratione dissentiunt: quorum ego auctoritatem apud vos multis locis plurimum valuisse, et valere oportere confiteor; sed in hac causa, tametsi cognoscitis auctoritates contrarias virorum fortissimorum et clarissimorum, tamen omissis auctoritatibus, ipsa re et ratione exquirere possumus veritatem: atque hoc facilius, quod ea omnia, quæ adhuc à me dicta sunt, iidem isti vera esse concedunt, et necessarium bellum esse, et magnum, et in uno Cn. Pompejo summa esse omnia. Quid igitur ait Hortensius? si uni omnia tribuenda sunt, unum dignissimum esse Pompejum: sed ad unum tamen omnia deferri non oportere. Obsolevit jam ista oratio, re multo magis, quam verbis refutata. Nam tu idem, Q. Hortensi, multa, pro tua summa copia ac singulari facultate dicendi, et in senatu contra virum fortem A. Gabinium, graviter ornateque dixisti, cum is de uno imperatore contra prædones constituendo legem promulgasset; et ex hoc ipso loco permulta item contra legem eam verba fecisti. Quid? tum, per deos immortales! Si plus apud populum Romanum auctoritas tua, quam ipsius populi Romani salus, et vera causa valuisset, hodie hanc gloriam, atque hoc orbis terrarum imperium teneremus? An tibi tum imperium esse hoc videbatur, cum populi Romani legati, præto-

res, quæstoresque capiebantur? cum ex omnibus provinciis commeatu et privato, et publico prohibebamur? cum ita clausa erant nobis omnia maria, ut neque privatam rem transmarinam, neque publicam jam obire possemus?

18. Quæ civitas antea unquam fuit, non dico Atheniensium, quæ satis late quondam mare tenuisse dicitur; non Carthaginiensium, qui permultum classe, maritimisque rebus valuerunt: non Rhodiorum, quorum usque ad nostram memoriam disciplina navalis et gloria remansit: quæ civitas unquam antea tam tenuis, quæ tam parva insula fuit, quæ non portus suos, et agros, et aliquam partem regionis, atque oræ maritimæ per se ipsa defenderet? At hercle aliquot annos continuos ante legem Gabiniam ille populus Romanus, cujus, usque ad nostram memoriam, nomen invictum in navalibus pugnis permanserat, magna, ac multo maxima parte non modo utilitatis, sed dignitatis atque imperii caruit. Nos, quorum majores Antiochum regem classe, Persenque superarunt, omnibusque navalibus pugnis Carthaginenses, homines in maritimis rebus exercitatissimos, paratissimosque vicerunt: ii nullo in loco jam prædonibus pares esse poteramus: nos quoque, qui antea non modo Italiam tutam habebamus, sed omnes socios in ultimis oris auctoritate nostri imperii salvos præstare poteramus; tum, cum insula Delos tam procul à nobis in Ægeo mari posita, quò omnes undique cum mercibus atque oneribus commeabant, referta divitiis, parva, sine muro nihil timebat; iidem non modo provinciis, atque oris Italiæ maritimis, ac portubus nostris, sed etiam Appia jam via carebamus: et his temporibus non pudebat magistratus populi Romani in hunc ipsum locum ascendere, cum eum vobis majores vestri exuviis nauticis, et classium spoliis ornatum reliquissent.

19. Bono te animo tum, Q Hortensi, populus Romanus, et cæteros, qui erant in eadem sententia dice-

re existimavit ea, quæ sentiebatis: sed tamen in salute communi idem populus Romanus dolori suo maluit, quam auctoritati vestræ obtemperare. Ita una lex, unus vir, unus annus, non modo nos illa miseria ac turpitudine liberavit; sed etiam effecit, ut aliquando vere videremur omnibus gentibus ac nationibus terra, marique imperare. Quo mihi etiam indignius videtur obtrectatum esse adhuc, Gabinio dicam, anne Pompejo, an utrique? (id quod est verius) ne legaretur A. Gabinius Cn. Pompejo expetenti ac postulanti. Utrum ille, qui postulat legatum ad tantum bellum, quem velit, idoneus non est, qui impetret, cum cæteri ad expilandos socios, diripiendasque provincias, quos voluerunt, legatos eduxerint: an ipse, cujus lege salus ac dignitas populo Romano atque omnibus gentibus constituta est, expers esse debet gloriæ ejus imperatoris, atque ejus exercitus, qui consilio ipsius atque periculo est constitutus? An C. Falcidius, Q. Metellus, Q. Cælius Latiniensis, Cn. Lentulus, quos omnes honoris causa nomino, cum tribuni plebis fuissent, anno proximo legati esse potuerunt: in hoc uno Gabinio sunt tam diligentes, qui in hoc bello, quod lege Gabinia geritur, in hoc imperatore atque exercitu, quem per se ipse constituit, etiam præcipuo jure esse deberet? De quo legando spero consules ad senatum relaturos. Qui si dubitabunt, aut gravabuntur, ego me profiteor relaturum: neque me impediet cujusquam, Quirites, inimicum edictum, quominus, fretus vobis, vestrum jus beneficiumque defendam: neque, præter intercessionem, quidquam audiam; de qua (ut arbitror) isti ipsi, qui minantur, etiam atque etiam, quid liceat, considerabunt. Mea quidem sententia, Quirites, unus A. Gabinius, belli maritimi, rerumque gestarum auctor, comes Cn. Pompejo adscribitur: propterea quod alter uni id bellum suscipiendum vestris suffragiis detulit; alter delatum, susceptumque confecit.

20. Reliquum est, ut de Q. Catuli auctoritate, et

sententia dicendum esse videatur. Qui cum ex vobis quæreret, si in uno Cn. Pompejo omnia poneretis, si quid eo factum esset, in quo spem essetis habituri: cepit magnum suæ virtutis fructum ac dignitatis, cum omnes prope una voce, *in eo ipso vos spem habituros esse* dixistis. Etenim talis est vir, ut nulla res tanta sit, ac tam difficilis, quam ille non et consilio regere, et integritate tueri, et virtute conficere possit. Sed in hoc ipso ab eo vehementissime dissentio, quod, quominus certa est hominum ac minus diuturna vita, hoc magis respublica, dum per deos immortales licet, frui debet summi hominis vita, atque virtute. At enim nihil novi fiat contra exempla, atque instituta majorum. Non dico hoc loco, majores nostros semper in pace consuetudini; in bello utilitati paruisse; semper ad novos casus temporum, novorum consiliorum rationes accommodasse: non dicam, duo bella maxima, Punicum et Hispaniense, ab uno imperatore esse confecta: duas urbes potentissimas, quæ huic imperio maxime minabantur, Carthaginem atque Numantiam, ab eodem Scipione esse deletas: non commemorabo nuper ita vobis patribusque vestris esse visum, ut in uno C. Mario spes imperii poneretur: ut idem cum Jugurtha, idem cum Cimbris, idem cum Theutonis bellum administraret: in ipso Cn. Pompejo, in quo novi constitui nihil vult Q. Catulus, quam multa sint nova, summa Catuli voluntate constituta, recordamini.

21. Quid enim tam novum, quam adolescentulum, privatum, exercitum difficili reipublicæ tempore conficere? confecit. Huic præesse? præfuit. Rem optime ductu suo gerere? gessit. Quid tam præter consuetudinem, quam homini peradolescenti, cujus à senatorio gradu ætas longe abesset, imperium atque exercitum dari? Siciliam permitti, atque Africam, bellumque in ea administrandum? Fuit in his provinciis singulari innocentia, gravitate, virtute: bellum in Africa ma-

ximum confecit, victorem exercitum deportavit. Quid vero tam inauditum, quam equitem Romanum triumphare? at eam quoque rem populus Romanus non modo vidit, sed etiam studio omni visendam et concelebrandam putavit. Quid tam inusitatum, quam ut, cum duo consules clarissimi fortissimique essent, eques Romanus ad bellum maximum formidolosissimumque pro consule mitteretur? missus est: quo quidem tempore, cum esset nonnemo in senatu, qui diceret, *non oportere mitti hominem privatum pro consule*: L. Philippus dixisse dicitur: *non se illum sua sententia pro consule, sed pro consulibus mittere.* Tanta in eo reipublicæ bene gerendæ spes constituebatur, ut duorum consulum munus unius adolescentis virtuti committeretur. Quid tam singulare, quam ut ex senatus consulto legibus solutus, consul ante fieret, quam ullum alium magistratum per leges capere licuisset? Quid tam incredibile, quam ut iterum eques Romanus ex senatus consulto triumpharet? Quæ in omnibus hominibus nova post hominum memoriam constituta sunt, ea tam multa non sunt, quam hæc, quæ in hoc uno homine vidimus. Atque hæc tot exempla, tanta ac tam nova, profecta sunt in eumdem hominem à Q. Catuli, atque à cæterorum ejusdem dignitatis amplissimorum hominum auctoritate.

22. Quare videant, ne sit periniquum, et non ferendum, illorum auctoritatem de Cn. Pompeji dignitate à vobis comprobatam semper esse; vestrum ab illis de eodem homine judicium, populique Romani auctoritatem improbari: præsertim cum jam suo jure populus Romanus in hoc homine suam auctoritatem vel contra omnes, qui dissentiunt, possit defendere: propterea quod, istis reclamantibus, vos unum illum ex omnibus delegistis, quem bello prædonum præponeretis. Hoc si vos temere fecistis, et reipublicæ parum consuluistis; recte isti studia vestra suis consiliis regere conantur: sin autem vos plus tum in republica vidistis;

vos, his repugnantibus, per vosmetipsos dignitatem huic imperio, salutem orbi terrarum attulistis: aliquando isti principes, et sibi, et cæteris, populi Romani universi auctoritati parendum esse fateantur. Atque in hoc bello Asiatico, et regio, non solum militaris illa virtus, quæ est in Cn. Pompejo singularis, sed aliæ quoque virtutes animi multæ et magnæ requiruntur: difficile est in Asia, Cilicia, Syria, regnisque interiorum nationum ita versari vestrum imperatorem, ut nihil aliud quam de hoste, ac de laude cogitet: deinde etiam si qui sunt pudore ac temperantia moderatiores; tamen eos esse tales, propter multitudinem cupidorum hominum nemo arbitratur. Difficile est dictu, Quirites, quanto in odio simus apud exteras nationes, propter eorum, quos ad eas per hos annos cum imperio misimus, injurias ac libidines. Quod enim fanum putatis in illis terris nostris magistratibus religiosum, quam civitatem sanctam, quam domum satis clausam ac munitam fuisse? Urbes jam locupletes ac copiosæ requiruntur, quibus causa belli propter diripiendi cupiditatem inferatur. Libenter hæc coram cum Q. Catulo, et Q. Hortensio disputarem, summis et clarissimis viris: noverunt enim sociorum vulnera: vident eorum calamitates: querimonias audiunt. Pro sociis vos contra hostes exercitum mittere putatis, an hostium simulatione, contra socios atque amicos? Quæ civitas est in Asia, quæ non modo imperatoris, aut legati, sed unius tribuni militum animos ac spiritus capere possit?

23. Quare, etiam si quem habetis, qui collatis signis, exercitus regios superare posse videatur: tamen, nisi erit idem, qui à pecuniis sociorum, qui ab eorum conjugibus ac liberis, qui ab ornamentis fanorum atque oppidorum, qui ab auro gazaque regia, manus, oculos, animum cohibere possit; non erit idoneus, qui ad bellum Asiaticum, regiumque mittatur. Ecquam putatis civitatem pacatam fuisse, quæ locuples sit? Ecquam esse locupletem, quæ istis pacata

esse videatur? Ora maritima, Quirites, Cn. Pompejum non solum propter rei militaris gloriam, sed etiam propter animi continentiam requisivit. Videbat enim populus Romanus non locupletari quotannis pecunia publica, præter paucos; neque nos quidquam aliud assequi classium nomine, nisi ut, detrimentis accipiendis, majore affici turpitudine videremur. Nunc, qua cupiditate homines in provincias, quibus jacturis, quibus conditionibus proficiscantur, ignorant videlicet isti, qui ad unum deferenda esse omnia non arbitrantur? quasi vero Cn. Pompejum non cum suis virtutibus, tum etiam alienis vitiis magnum esse videamus. Quare nolite dubitare, quin huic uni credatis omnia, qui inter annos tot unus inventus sit, quem socii in urbes suas cum exercitu venisse gaudeant. Quod si auctoritatibus hanc causam, Quirites, confirmandum putatis; est vobis auctor, vir bellorum omnium, maximarumque rerum peritissimus, P. Servilius; cujus tantæ res gestæ terra marique extiterunt, ut, cum de bello deliberetis, auctor vobis gravior esse nemo debeat: est C. Curio, summis vestris beneficiis, maximisque rebus gestis, summo ingenio et prudentia præditus: est Cn. Lentulus, in quo omnes, pro amplissimis vestris honoribus, summum consilium, summam gravitatem esse cognoscitis: est C. Cassius, integritate, virtute, constantia singulari. Quare videte, ut horum auctoritatibus, illorum orationi, qui dissentiunt, respondere posse videamur.

Peroratio.

24. Quæ cum ita sint, C. Manili, primum istam tuam et legem et voluntatem, et sententiam laudo, vehementissimeque comprobo: deinde te hortor, ut auctore populo Romano, maneas in sententia, neve cujusquam vim aut minas pertimescas. Primum in te satis esse animi perseverantiæque arbitror: deinde cum tantam multitudinem cum tanto studio adesse videa-

mus, quanta nunc iterum in eodem homine præficiendo vidimus; quid est, quod aut de re, aut de perficiendi facultate dubitemus? Ego autem, quidquid in me est studii, consilii, laboris, ingenii, quidquid hoc beneficio populi Romani, atque hac potestate prætoria, quidquid auctoritate, fide, constantia possum; id omne ad hanc rem conficiendam, tibi et populo Romano polliceor ac defero: testorque omnes deos, et eos maxime, qui huic loco temploque præsident, qui omnium mentes eorum, qui ad rempublicam adeunt, maxime perspiciunt, me hoc neque rogatu facere cujusquam, neque quo Cn. Pompeji gratiam mihi per hanc causam conciliari putem, neque quo mihi ex cujusquam amplitudine, aut præsidia periculis, aut adjumenta honoribus quæram: propterea quod pericula facile, ut hominem præstare oportet, innocentia tecti pellemus: honorem autem neque ab uno, neque ex hoc loco, sed eadem nostra illa laboriosissima ratione vitæ, si vestra voluntas feret, consequemur. Quamobrem, quidquid in hac causa mihi susceptum est, Quirites, id omne me reipublicæ causa suscepisse confirmo: tantumque abest, ut aliquam bonam gratiam mihi quæsisse videar, ut multas etiam simultates partim obscuras, partim apertas intelligam, mihi non necessarias, vobis non inutiles, suscepisse. Sed ego me hoc honore præditum, tantis vestris beneficiis affectum, statui, Quirites, vestram voluntatem, et reipublicæ dignitatem, et salutem provinciarum atque sociorum, meis omnibus commodis et rationibus præferre oportere.





M. TULII CICERONIS

PRO M. MARCELLO

ORATIO.

Exordium.

1. Diuturni silentii, Patres conscripti, quo eram his temporibus usus, non timore aliquo, sed partim dolore, partim verecundia, finem hodiernus dies attulit: idemque initium, quæ vellem, quæque sentirem, meo pristino more dicendi. Tantam enim mansuetudinem, tam inusitatam, inauditamque clementiam, tantum in summa potestate rerum omnium modum, tam denique incredibilem sapientiam, ac pene divinam, tacitus nullo modo præterire possum. M. enim Marcello vobis, Patres conscripti, reique publicæ reddito, non solum illius, sed meam etiam vocem et auctoritatem, et vobis, et reipublicæ conservatam ac restitutam puto. Dolebam enim, Patres conscripti, ac vehementer angebar, cum viderem, virum talem, qui in eadem causa, in qua ego, fuisset, non in eadem esse fortuna: nec mihi persuadere poteram, nec fas esse ducebam, versari me in nostro veteri curriculo, illo æmulo atque imitatore studiorum ac laborum meorum quasi quodam socio à me et comite distracto. Ergo et mihi meæ pristinæ vitæ consuetudinem, C. Cæsar, interclusam aperuisti, et his omnibus ad bene de omni republica sperandum, quasi signum

aliquod sustulisti. Intellectum est enim mihi quidem in multis, et maxime in me ipso, sed paulo ante omnibus, cum M. Marcellum senatui populoque Romano concessisti, commemoratis præsertim offensionibus, te auctoritatem hujus ordinis, dignitatemque reipublicæ tuis vel doloribus, vel suspicionibus anteferre. Ille quidem fructum omnis vitæ ante actæ hodierno die maximum cepit, cum summo consensu senatûs, tum præterea judicio tuo gravissimo et maximo: ex quo profecto intelligis, quanta in dato beneficio sit laus, cum in accepto tanta sit gloria. Est vero fortunatus ille, cujus ex salute non minor pene ad omnes, quam ad illum ventura sit, lætitia pervenerit. Quod ei quidem merito, atque optimo jure contigit. Quis enim est illo aut nobilitate, aut probitate, aut optimarum artium studio, aut innocentia, aut ullo genere laudis præstantior?

Confirm. prima pars.

2. Nullius tantum est flumen ingenii, nulla dicendi aut scribendi tanta vis, tanta copia, quæ non dicam exornare, sed enarrare, C. Cæsar, res tuas gestas possit. Tamen hoc affirmo, et hoc pace dicam tua, nullam in his esse laudem ampliorem, quam eam, quam hodierno die consecutus es. Soleo sæpe ante oculos ponere, idque libenter crebris usurpare sermonibus, omnes nostrorum imperatorum, omnes exterarum gentium, potentissimorumque populorum, omnes clarissimorum regum res gestas cum tuis nec contentionum magnitudine, nec numero præliorum, nec varietate regionum, nec celeritate conficiendi, nec dissimilitudine bellorum posse conferri. Nec vero disjunctissimas terras citius cujusquam passibus potuisse peragrari, quam tuis non dicam cursibus, sed victoriis lustratæ sunt. Quæ quidem ego nisi ita magna esse fatear, ut ea vix cujusquam mens aut cogitatio capere possit, amens

sim: sed tamen sunt alia majora. Nam bellicas laudes solent quidam extenuare verbis, easque detrahere ducibus, communicare cum multis, ne propriæ sint imperatorum. Et certe in armis militum virtus, locorum opportunitas, auxilia sociorum, classes, commeatus, multum juvant. Maximam vero partem quasi suo jure Fortuna sibi vindicat: et quidquid est prospere gestum, id pene omne ducit suum. At vero hujus gloriæ, C. Cæsar, quam es paulo ante adeptus, socium habes neminem. Totum hoc, quantumcumque est, quod certe maximum est, totum est, inquam, tuum. Nihil sibi ex ista laude centurio, nihil præfectus, nihil cohors, nihil turma decerpit. Quin etiam illa ipsa rerum humanarum domina, Fortuna, in istius se societatem gloriæ non offert: tibi cedit: tuam esse totam, et propriam fatetur. Nunquam enim temeritas cum sapientia commiscetur, nec ad consilium casus admittitur.

3. Domuisti gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes; sed tamen ea vicisti, quæ et naturam, et conditionem, ut vinci possent, habebant. Nulla est enim tanta vis, quæ non ferro ac viribus debilitari, frangique possit. Animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare, adversarium nobilitate, ingenio, virtute præstantem, non modo extollere jacentem, sed etiam amplificare ejus pristinam dignitatem: hæc qui faciat, non ego eum cum summis viris comparo, sed simillimum deo judico. Itaque, C. Cæsar, bellicæ tuæ laudes celebrabuntur illæ quidem non solum nostris, sed pene omnium gentium litteris, atque linguis: neque ulla unquam ætas de tuis laudibus conticescet. Sed tamen ejusmodi res, nescio quomodo, etiam cum leguntur, obstrepi clamore militum videntur, et tubarum sono. At vero cum aliquid clementer, mansuete, juste, moderate, sapienter factum, in iracundia præsertim, quæ est inimica consilio, et in victoria, quæ natura insolens et superba est, aut audimus, aut legimus: quo studio in-

cendimur, non modo in gestis rebus, sed etiam in fictis, ut eos sæpe, quos nunquam vidimus, diligamus? Te vero, quem præsentem intuemur, cujus mentem, sensusque, et os cernimus, ut, quidquid belli fortuna reliquum reipublicæ fecerit, id esse salvum velis, quibus laudibus efferemus? quibus studiis prosequemur? qua benevolentia complectemur? Parietes, medius fidius, C. Cæsar, ut mihi videtur, hujus curiæ, tibi gratias agere gestiunt, quod brevi tempore futura sit illa auctoritas in his majorum suorum, et suis sedibus.

4. Equidem cum C. Marcelli, viri optimi, et commemorabili pietate præditi, lacrymas modo vobiscum viderem, omnium Marcellorum meum pectus memoria effodit. Quibus tu etiam mortuis, M. Marcello conservato, dignitatem suam reddidisti, nobilissimamque familiam, jam ad paucos redactam, pene ab interitu vindicasti. Hunc tu igitur diem tuis maximis et innumerabilibus gratulationibus jure antepones. Hæc enim res unius est propria C. Cæsaris: cæteræ duce te gestæ, magnæ illæ quidem, sed tamen multo, magnoque comitatu. Hujus autem rei tu idem es et dux, et comes: quæ quidem tanta est, ut trophæis, monumentisque tuis allatura sit finem ætas: nihil est enim opere aut manu factum, quod aliquando non conficiat, et consumat vetustas: at vero hæc tua justitia, et lenitas animi florescet quotidie magis, ita, ut, quantum operibus tuis diuturnitas detrahet, tantum aferat laudibus. Et cæteros quidem omnes victores bellorum civilium jam ante æquitate et misericordia viceras: hodierno vero die te ipsum vicisti. Vereor, ut hoc, quod dicam, non perinde intelligi auditu possit, atque ego ipse cogitans sentio. Ipsam victoriam vicisse videris, cum ea ipsa, quæ illa erat adepta, victis remisisti. Nam cum ipsius victoriæ conditione jure omnes victi occidissemus, clementiæ tuæ judicio conservati sumus. Recte igitur unus invictus es, à quo etiam ipsius victoriæ conditio, visque devicta est.

5. Atque hoc C. Cæsaris judicium, Patres conscripti, quam late pateat, attendite. Omnes enim, qui ad illa arma fato sumus nescio quo reipublicæ misero funestoque compulsi, etsi aliqua culpa tenemur erroris humani, à scelere certe liberati sumus. Nam cum M. Marcellum, deprecantibus vobis, reipublicæ Cæsar conservavit; memet mihi, et item reipublicæ, nullo deprecante; reliquos amplissimos viros, et sibi ipsis, et patriæ reddidit, quorum et frequentiam et dignitatem hoc ipso in consessu videtis: non ille hostes induxit in curiam, sed judicavit, à plerisque ignoratione potius, et falso, atque inani metu, quàm cupiditate, aut crudelitate civile bellum esse susceptum. Quo quidem in bello semper de pace agendum, audiendum putavi, semperque dolui non modo pacem, sed orationem etiam civium, pacem efflagitantium, repudiari. Neque enim ego illa, nec ulla unquam secutus sum arma civilia, semperque mea consilia, pacis et togæ socia, non belli atque armorum fuerunt. Hominem sum secutus privato officio, non publico: tantumque apud me grati animi fidelis memoria valuit, ut nulla non modo cupiditate, sed ne spe quidem, prudens et sciens, tanquam ad interitum ruerem voluntarium. Quod quidem meum consilium minime obscurum fuit. Nam et in hoc ordine, integra re, multa de pace dixi, et in ipso bello eadem etiam cum capitis mei periculo sensi. Ex quo nemo erit tam injustus rerum æstimator, qui dubitet, quæ Cæsaris voluntas de bello fuerit, cum pacis auctores conservandos statim censuerit, cæteris fuerit iratior. Atque id minus mirum fortasse tum, cum esset incertus exitus et anceps fortuna belli. Qui vero victor pacis auctores diligit, is profecto declarat, se maluisse non dimicare, quam vincere.

6. Atque hujus quidem rei M. Marcello sum testis. Nostri enim sensus, ut in pace semper, sic tum etiam in bello congruebant. Quoties ego eum, et quanto cum dolore vidi, cum insolentiam certorum homi-

num, tum etiam ipsius victoriæ ferocitatem extimescentem? Quo gratior tua liberalitas, C. Cæsar, nobis, qui illa vidimus, debet esse. Non enim jam caussæ sunt inter se, sed victoriæ comparandæ. Vidimus tuam victoriam præliorum exitu terminatam: gladium vagina vacuum in urbe non vidimus. Quos amisimus cives, eos Martis vis perculit, non ira victoriæ: ut dubitare debeat nemo, quin multos, si fieri posset, C. Cæsar ab inferis excitaret; quoniam ex eadem acie conservat, quos potest. Alterius vero partis, nihil amplius dicam, quam id, quod omnes verebamur, nimis iracundam futuram fuisse victoriam. Quidam enim non modo armatis, sed interdum etiam otiosis minabantur: nec, quid quisque sensisset, sed ubi fuisset, cogitandum esse dicebant: ut mihi quidem videantur dii immortales, etiam si pœnas à populo Romano ob aliquod delictum expetiverunt, qui civile bellum tantum, et tam luctuosum excitaverunt, vel placati jam, vel etiam satiati aliquando, omnem spem salutis ad clementiam victoris, et sapientiam contulisse. Quare gaude tuo isto tam excellenti bono: et fruere cum fortuna, et gloria, tum etiam natura, et moribus tuis: ex quo quidem maximus est fructus, jucunditasque sapienti. Cætera cum tua recordabere; etsi persæpe virtuti, tamen plerumque felicitati tuæ congratulabere. De nobis, quos in republica tecum simul salvos esse voluisti, quoties cogitabis, toties de maximis tuis beneficiis, toties de incredibili liberalitate, toties de singulari sapientia tua cogitabis: quæ non modo summa bona, sed nimirum audebo vel sola dicere. Tantus est enim splendor in laude vera, tanta in magnitudine animi et consilii dignitas, ut hæc à virtute donata; cætera à fortuna commodata esse videantur. Noli igitur in conservandis bonis viris defatigari, non cupiditate præsertim aut pravitate aliqua lapsis, sed opinione officii, stulta fortasse, certe non improba, et specie quadam reipublicæ. Non enim tua ulla culpa

est, si te aliqui timuerunt: contraque summa laus, quod plerique minime timendum fuisse senserunt.

Confirmat. secunda pars.

7. Nunc vero venio ad gravissimam querelam, et atrocissimam suspicionem tuam, quæ non tibi ipsi magis, quam cum omnibus civibus, tum maxime nobis, qui à te conservati sumus, providenda est. Quam etsi spero esse falsam, nunquam tamen verbis extenuabo. Tua enim cautio, nostra cautio est: ut, si in alterutro peccandum sit, malim videri nimis timidus, quam parum prudens. Sed quisnam est iste tam demens? De tuisne? tametsi qui magis sunt tui, quam quibus tu salutem insperantibus reddidisti? An ex eo numero, qui una tecum fuerunt? Non est credibilis tantus in ullo furor, ut, quo duce omnia summa sit adeptus, hujus vitam non anteponat suæ. At si tui nihil cogitant sceleris, cavendum est, ne quid inimici. Qui? omnes enim qui fuerunt, aut sua pertinacia vitam amiserunt, aut tua misericordia retinuerunt: ut aut nulli supersint de inimicis, aut, qui superfuerunt, amicissimi sint. Sed tamen, cum in animis hominum tantæ latebræ sint, et tanti recessus, augeamus sane suspicionem tuam: simul enim augebimus et diligentiam. Nam quis est omnium tan ignarus rerum, tam rudis in republica, tam nihil unquam nec de sua, nec de communi salute cogitans, qui non intelligat, tua salute contineri suam? et ex unius tua vita pendere omnium? Equidem de te dies noctesque, ut debeo, cogitans, casus duntaxat humanos, et incertos eventus valetudinis, et naturæ communis fragilitatem extimesco; doleoque, cum respublica immortalis esse debeat, eam in unius mortalis anima consistere. Si vero ad humanus casus, incertosque eventus valetudinis, sceleris etiam accedat, insidiarumque consensio: quem deum, si cupiat, opitulari posse reipublicæ credamus?

8. Omnia sunt excitanda tibi, C. Cæsar, uni, quæ jacere sentis, belli ipsius impetu, quod necesse fuit, perculsa, atque prostrata: constituenda judicia, revocanda fides, comprimendæ libidines, propaganda soboles: omnia, quæ dilapsa jam fluxerunt, severis legibus vincienda sunt. Non fuit recusandum in tanto civili bello, tantoque animorum ardore, et armorum, quin quassata respublica, quicumque belli eventus fuisset, multa perderet, et ornamenta dignitatis, et præsidia stabilitatis suæ: multaque uterque dux faceret armatus, quæ idem togatus fieri prohibuisset. Quæ quidem nunc tibi omnia belli vulnera curanda sunt: quibus, præter te, mederi nemo potest. Itaque illam tuam præclarissimam et sapientissimam vocem invitus audivi: satis te diu vel naturæ vixisse, vel gloriæ. Satis, si ita vis, naturæ fortasse; addo etiam, si placet, gloriæ: at, quod maximum est, patriæ certe parum. Quare omitte, quæso, istam doctorum hominum in contemnenda morte prudentiam: noli nostro periculo sapiens esse. Sæpe enim venit ad aures meas, te idem istud nimis crebro dicere, satis te tibi vixisse. Credo: sed tum id audirem, si tibi soli viveres, aut si tibi etiam soli natus esses. Nunc, cum omnium salutem civium, cunctamque rempublicam res tuæ gestæ complexæ sint: tantum abes à perfectione maximorum operum, ut fundamenta, quæ cogitas, nondum jeceris. Hic tu modum tuæ vitæ, non salute reipublicæ, sed æquitate animi definies? Quid, si istud ne gloriæ quidem tuæ satis est? cujus et esse avidissimum, quamvis sis sapiens, non negabis. Parumne igitur, inquies, gloriam magnam relinquemus? Immo vero aliis, quamvis multis, satis: tibi uni parum. Quidquid enim est, quamvis amplum sit, id certe parum est tum, cum est aliquid amplius. Quod si rerum tuarum immortalium, C. Cæsar, hic exitus futurus fuit, ut, devictis adversariis, rempublicam in eo statu relinqueres, in quo nunc est; vide, quæso, ne tua divina virtus admirationis plus sit ha-

bitura, quam gloriæ: si quidem gloria, est illustris, ac pervagata multorum, et magnorum vel in suos, vel in patriam, vel in omne genus hominum, fama meritorum.

9. Hæc igitur tibi reliqua pars est, hic restat actus, in hoc elaborandum est, ut rempublicam constituas, eaque tu in primis cum summa tranquillitate et otio perfruare: tum te, si voles, cum et patriæ, quod debes, solveris, et naturam ipsam expleveris satietate vivendi, satis diu vixisse dicito. Quid est enim omnino hoc ipsum diu, in quo est aliquid extremum, quod cum venerit, omnis voluntas præterita pro nihilo est, quia postea nulla futura sit? Quamquam iste tuus animus nunquam iis angustiis, quas natura nobis ad vivendum dedit, contentus fuit, semperque immortalitatis amore flagravit. Nec vero hæc tua vita ducenda est, quæ corpore et spiritu continetur. Illa, inquam, illa vita est tua, Cæsar, quæ vigebit memoria seculorum omnium: quam posteritas alet, quam ipsa æternitas semper tuebitur. Huic tu inservias, huic te ostentes, oportet: quæ quidem, quæ miretur, jam pridem multa habet; nunc, etiam quæ laudet, expectat. Obstupescent posteri certe imperia, provincias, Rhenum, Oceanum, Nilum, pugnas innumerabiles, incredibiles victorias, monumenta, munera, triumphos audientes, et legentes tuos. Sed, nisi hæc urbs stabilita tuis consiliis et institutis erit, vagabitur modo nomen tuum longe atque late: sedem quidem stabilem, et domicilium certum non habebit. Erit inter eos etiam, qui nascentur, sicut inter nos fuit magna dissensio, cum alii laudibus ad cœlum res tuas gestas efferent: alii fortasse aliquid requirent, idque vel maximum, nisi belli civilis incendium salute patriæ restinxeris: ut illud fati fuisse videatur, hoc consilii. Servi igitur iis etiam judicibus, qui multis post seculis de te judicabunt: et quidem haud scio, an incorruptius, quam nos. Nam et sine amore, et sine cupiditate, et rursus sine odio, et sine

invidia judicabunt. Id autem etiam si tunc ad te, ut quidam falso putant, non pertinebit; nunc certe pertinet, esse te talem, ut tuas laudes obscuratura nulla unquam sit oblivio.

10. Diversæ voluntates civium fuerunt, distractæque sententiæ. Non enim consiliis solum et studiis, sed armis etiam et castris dissidebamus. Erat autem obscuritas quædam, erat certamen inter clarissimos duces: multi dubitabant, quid optimum esse: multi, quid sibi expediret: multi, quid deceret: nonnulli etiam, quid liceret. Perfuncta respublica est hoc misero, fatalique bello: vicit is, qui non fortuna inflammaret odium suum, sed bonitate leniret: nec qui omnes, quibus iratus esset, eosdem etiam exilio, aut morte dignos judicaret. Arma ab aliis posita, aliis erepta sunt. Ingratus est, injustusque civis, qui, armorum periculo liberatus, animum tamen retinet armatum: ut etiam ille sit melior, qui in acie cecidit, qui in causa animam profudit. Quæ enim pertinacia quibusdam, eadem aliis constantia videri potest. Sed jam omnis fracta dissensio est armis, et extincta æquitate victoris: restat, ut omnes unum velint, qui modo habent aliquid non solum sapientiæ, sed etiam sanitatis. Nisi te, C. Cæsar, salvo, et in ista sententia, qua cum antea, tum hodie vel maxime usus es, manente, salvi esse non possumus. Quare omnes te, qui hæc salva esse volumus, et hortamur, et obsecramus, ut vitæ, ut saluti tuæ consulas: omnesque tibi, ut pro aliis etiam loquar, quod de me ipse sentio, quoniam subesse aliquid putas, quod cavendum sit, non modo excubias, et custodias, sed etiam laterum nostrorum oppositus, et corporum pollicemur.

Peroratio.

11. Sed, unde est orsa, in eodem terminetur oratio. Maximas tibi omnes gratias agimus, C. Cæsar, ma-

jores etiam habemus. Nam omnes idem sentiunt: quod ex omnium precibus et lacrymis sentire potuisti. Sed quia non est stantibus omnibus necesse dicere; à me certe dici volunt: cui necesse est quodammodo, et quod volunt, et quod M. Marcello, à te huic ordini, populoque Romano et reipublicæ reddito, præcipue id à me fieri debere intelligo. Nam lætari omnes, non ut de unius solum, sed ut de communi omnium salute, sentio. Quod autem summæ benevolentiæ est, quæ mea erga illum omnibus semper nota fuit, ut vix C. Marcello, optimo et amantissimo fratri, præter eum quidem, cederem nemini, cum id sollicitudine, cura, labore tamdiu præstiterim, quamdiu est de illius salute dubitatum: certe hoc tempore, magnis curis, molestiis, doloribus liberatus, præstare debeo. Itaque, C. Cæsar, sic tibi gratias ago, ut omnibus me rebus à te non conservato solum, sed etiam ornato, tamen ad tua innumerabilia in me unum merita, quod fieri jam posse non arbitrabar, maximus hoc tuo facto cumulus accesserit.

M. VALERII MARTIALIS

EPIGRAMMATA.

I. *Ad Lectorem.*

Hic est quem legis, ille quem requiris,
Toto notus in orbe Martialis,
Argutis Epigrammaton libellis:
Cui, lector studiose, quod dedisti
Viventi decus, atque sentienti,
Rari post cineres habent poëtæ.

II. *Ad Avitum.*

Sunt bona, sunt quædam mediocria, sunt mala plura,
Quæ legis hic: aliter non fit, Avite, liber.

III. *Ad Licinianum, de Hispaniæ locis.*

Vir Celtiberis non tacende gentibus,
Nostræque laus Hispaniæ,
Videbis altam, Liciane, Bilbilim,
Equis et armis nobilem,
Sterilemque Calvum nivibus, et fractis sacrum
Vadaveronem montibus:
Et delicati dulce Botrodi nemus,
Pomona quod felix amat.
Tepidi natabis lene Congedi vadum,
Mollesque Nympharum lacus;
Quibus remissum corpus adstringas brevi

Salone, qui ferrum gelat.
Præstabit illic ipsa figendas prope
Vobisca prandenti feras.
Æstus serenos aureo franges Tago,
Obscurus umbris arborum.
Avidam rigens Dircenna placabit sitim,
Et Nemea, quæ vincit nives.
At cum December canus, et bruma impotens
Aquilone rauco mugiet;
Aprica repetes Tarraconis litora,
Tuamque Laletaniam.
Ibi illigatas mollibus damas plagis
Mactabis, et vernos apros,
Leporemque forti callidum rumpes equo:
Cervos relinques villico.
Vicina in ipsum silva descendet focum
Infante cinctum sordido.
Vocabitur venator, et veniet tibi
Conviva clamatus prope.
Lunata nusquam pellis, et nusquam toga,
Olidæque vestes murice:
Procul horridus Liburnus, et querulus cliens;
Imperia viduarum procul.
Non rumpet altum pallidus somnum reus:
Sed mane totum dormies.
Mercetur alius grande, et insanum sophos:
Miserere tu felicium;
Veroque fruere non superbus gaudio,
Dum Sura laudatur tuus.
Non impudenter vita, quod reliquum est, petit;
Cum fama, quod satis est, habet.

IV. *Ad Licinianum, scriptores unde.*

Verona docti syllabas amat vatis:
Marone felix Mantua est:
Censetur Apona Livio suo tellus,

Stellaque nec Flacco minus.
Apollodoro plaudit imbrifer Nilus;
Nasone Peligni sonant.
Duosque Senecas, unicumque Lucanum
Facunda loquitur Corduba.
Gaudent jocosæ Canio suo Gades;
Emerita Deciano meo.
Te, Liciniane, gloriabitur nostra,
Nec me tacebit Bilbilis.

V. *Ad Licorim.*

Qui pinxit Venerem tuam, Lycori,
Blanditus, puto, pictor est Minervæ.

VI. *De catella Publii.*

Issa est passere nequior Catulli.
Issa est purior osculo columbæ.
Issa est carior indicis lapillis.
Issa est deliciæ catella Publi.
Hanc tu, si queritur, loqui putabis.
Sentit tristitiamque gaudiumque.
Collo nixa cubat, capitque somnos,
Ut suspiria nulla sentiantur.
Et desiderio coacta ventris,
Gutta pallia non fefellit ulla;
Sed blando pede suscitat, toroque
Deponi rogat, et monet levari,
Castæ tantus inest pudor catellæ.
Hanc ne lux rapiat suprema totam,
Picta Publius exprimit tabella,
In qua tam similem videbis Issam,
Ut sit tam similis sibi nec Issa.
Issam denique pone cum tabella,
Aut utramque putabis esse veram,
Aut utramque putabis esse pictam.

VII. *Ad Rufum de Selio.*

Quod fronte Selium nubila vides, Rufe,
Quod ambulator porticum terit serus;
Lugubre quiddam quod tacet piger vultus;
Quod pæne terram tangit indecens nasus;
Quod dextra pectus pulsat, et comam vellit:
Non ille amici fata luget, aut fratris:
Uterque natus vivit, et precor vivat:
Salva est et uxor, sarcinæque, servique:
Nihil colonus, villicusque decoxit.
Mœroris igitur causa quæ? domi cœnat.

VIII. *In Maximinam.*

Ride, si sapis, ò puella, ride,
Pelignus, puto, dixerat poeta:
Sed non dixerat omnibus puellis.
Verum ut dixerit omnibus puellis,
Non dixit tibi; tu puella non es:
Et tres sunt tibi, Maximina, dentes;
Sed plane piceique, buxeique.
Quare si speculo mihique credis,
Debes non aliter timere risum,
Quam ventum Spanius, manumque Priscus:
Quam cretata timet Fabulla nimbum,
Cerussata timet Sabella solem.
Vultus indue tu magis severos,
Quam conjux Priami, nurusque major.
Mimos ridiculi Philistionis,
Et convivia nequiora vita,
Et quidquid lepida procacitate
Laxat perspicuo labella risu.
Te mœstæ decet assidere matri,
Lugentique virum, piumque fratrem,
Et tantum tragicis vacare Musis.

At tu, judicium secuta nostrum,
Plora, si sapis, ò puella, plora.

IX. *Ad Quintilianum.*

Quintiliane, vagæ moderator summæ juventæ,
  Gloria Romanæ, Quintiliane, togæ,
Vivere quod propero pauper, nec inutilis annis,
  Da veniam: properat vivere nemo satis.
Differat hoc, patrios optat qui vincere census,
  Atriaque immodicis arctat imaginibus.
Me focus, et nigros non indignantia fumos
  Tecta juvant, et fons vivus, et herba rudis.
Sit mihi verna satur: sit non doctissima conjux:
  Sit nox cum somno: sit sine lite dies.

X. *De Piscibus sculptis.*

  Artis Phidiacæ toreuma clarum,
Pisces adspicis: adde aquam, natabunt.

XI. *In Ligurinum.*

  Occurrit tibi nemo quod libenter:
Quod, quacumque venis, fuga est, et ingens
Circa te, Ligurine, solitudo:
Quid sit, scire cupis? nimis poëta es:
Hoc valde vitium periculosum est.
Non tigris catulis citata raptis,
Non dipsas medio perusta Sole,
Nec sic scorpius improbus timetur.
Nam tantos, rogo, quis ferat labores?
Et stanti legis, et legis sedenti:
Currenti legis, et legis jacenti.
In thermas fugio; sonas ad aurem.
Piscinam peto: non licet natare.
Ad cœnam propero; tenes euntem.

Ad cœnam venio; fugas sedentem.
Lassus dormio; suscitas jacentem.
Vis, quantum facias mali, videre?
Vir justus, probus, innocens timeris.

XII. *Ad Silium.*

Sili Castalidum decus sororum,
Qui perjuria barbari furoris
Ingenti premis ore, perfidosque
Fastus Hannibalis, levesque Pœnos
Magnis cedere cogis Africanis:
Paulum seposita severitate,
Dum blanda vagus alea December
Incertis sonat hinc et hinc fritillis,
Et ludit Popa nequiore talo,
Nostris otia commoda Camœnis.
Nec torva lege fronte, sed remissa
Lascivis madidos jocis libellos.
Sic forsan tener ausus est Catullus
Magno mittere passerem Maroni.

XII. *Ad Lucium.*

Luci, gloria temporum tuorum,
Qui Grajum veterem, Tagumque nostrum
Arpis cedere non sinis disertis;
Argivas generatus inter urbes,
Thebas carmine cantet, aut Mycenas,
Aut claram Rhodon, aut libidinosæ
Ledæas Lacedæmonis palæstras.
Nos Celtis genitos et ex Iberis
Nostræ nomina duriora terræ
Grato non pudeat referre versu:
Sævo Bilbilin optimam metallo,
Quæ vincit Chalybasque Noricosque,
Et ferro Plateam suo sonantem,

Quam fluctu tenui, sed inquieto
Armorum Salo temperator ambit:
Tutelamque chorosque Rixamarum,
Et convivia festa Carduarum,
Et textis Peteron rosis rubentem,
Atque antiqua patrum theatra Rigas,
Et certos jaculo levi Silaos,
Turgentisque lacus, Petusiæque,
Et parvæ vada pura Vetonissæ,
Et sanctum Baradonis ilicetum,
Per quod vel piger ambulat viator;
Et quæ fortibus excolit juvencis
Curvæ Manlius arva Matinessæ.
Hæc tam rustica, delicate lector,
Rides nomina? rideas licebit.
Hæc tam rustica malo, quam Bituntos.

XIV. *De hortis Julii Martialis.*

Juli jugera pauca Martialis,
Hortis Hesperidum beatiora,
Longo Janiculi jugo recumbunt:
Lati collibus imminent recessus:
Et planus modico tumore vertex
Cœlo perfruitur sereniore:
Et curvas nebula tegente valles
Solus luce nitet peculiari:
Puris leniter admoventur astris
Celsæ culmina delicata villæ.
Hinc septem dominos videre montes,
Et totam licet æstimare Romam,
Albanos quoque, Tusculosque colles,
Et quodcumque jacet sub urbe frigus,
Fidenas veteres, brevesque Rubras,
Et quod virgineo cruore gaudet,
Annæ pomiferum nemus Perannæ.
Illic Flaminiæ, Salariæque

Gestator patet, essedo tacente,
Ne blando rota sit molesta somno,
Quem nec rumpere nauticum celeusma,
Nec clamor valet helciariorum;
Cum si tam prope Mulvius, sacrumque
Lapsæ per Tiberim volent carinæ.
Hoc rus (seu potius domus vocanda est)
Commendat dominus; tuam putabis:
Tam non invida, tamque liberalis,
Tam comi patet hospitalitate.
Credas Alcinoi pios Penates,
Aut facti modo divitis Molorchi.
Vos nunc omnia parva qui putatis,
Centeno gelidum ligone Tibur,
Vel Præneste domate, pendulamque
Uni dedite Setiam colono:
Dum, me judice, præferantur istis
Juli jugera pauca Martialis.

XV. *Ad librum suum de Apollinari.*

Si vis auribus Atticis probari,
Exhortor, moneoque te, libelle,
Ut docto placeas Apollinari.
Nil exactius, eruditiusque est,
Sed nec candidius, benigniusque:
Si te pectore, si tenebit ore,
Nec ronchos metues maligniorum,
Nec scombris tunicas dabis molestas.
Si damnaverit, ad salariorum
Curras scrinia protinus licebit,
Inversa pueris arande charta.

XVI. *De rusticatione.*

Rure morans quid agam, respondeo pauca, rogatus:
Luce Deos oro, famulos, post arva reviso,

Partibus atque meis justos indico labores.
Inde lego, Phœbumque cio, Musamque lacesso.
Hinc oleo, corpusque frico, mollique palæstra
Prandeo, poto, cano, ludo, lavo, cœno, quiesco,
Dum parvus lychnus modicum consumat olivi:
Hæc dat nocturnis nox lucubrata Camœnis.

XVII. *De Phaside.*

Edictum Domini, Deique nostri,
Quo subsellia certiora fiunt,
Et puros eques ordines recepit,
Dum laudat modo Phasis in theatro,
Phasis purpureis rubens lacernis,
Et jactat tumido superbus ore:
Tandem commodius licet sedere,
Nunc est reddita dignitas equestris;
Turba non premimur, nec inquinamur:
Hæc, et talia dum refert supinus,
Illas purpureas, et arrogantes
Jussit surgere Lectius lacernas.

XVIII. *De rhetore Apollonio.*

Extemporalis factus est meus rhetor:
Calpurnium non scripsit, et salutavit.

XIX. *Epitaphium Glauciæ.*

Libertus Melioris ille notus,
Tota qui cecidit dolente Roma,
Cari deliciæ breves patroni,
Hoc sub marmore Glaucias humatus
Juncto Flaminiæ jacet sepulcro:
Castus moribus, innocens pudore,
Velox ingenio, decore felix.
Bis senis modo messibus peractis

Vix unum puer applicabat annum.
Qui fles talia, nil fleas, viator.

XX. *Epitaphium Pantagathi tonsoris.*

Hoc jacet in tumulo raptus puerilibus annis
Pantagathus, domini cura, dolorque sui,
Vix tangente vagos ferro resecare capillos
Doctus, et hirsutas excoluisse genas.
Sis licet, ut debes, Tellus placata, levisque:
Artificis levior non potes esse manu.

XXI. *In invidum.*

Laudat, amat, cantat nostros mea Roma libellos:
Meque sinus omnis, me manus omnis habet.
Ecce rubet quidam, pallet, stupet, oscitat, odit.
Hoc volo: nunc nobis carmina nostra placent.

XXII. *Ad Rufum.*

Quidam me modo, Rufe, diligenter
Inspectum, velut emptor, aut lanista,
Cum vultu, digitoque subnotasset,
Tune es, tune, ait, ille Martialis,
Cujus nequitias, jocosque novit,
Aurem qui modo non habet Batavam.
Subrisi modice: levique nutu
Me, quem dixerat esse, non negavi.
Cur ergo, inquit, habes malas lacernas?
Respondi: quia sum malus poeta.
Hoc nec sæpius accidat poetæ,
Mittas, Rufe, mihi bonas lacernas.

XXIII. *Ad Regulum.*

Æra domi non sunt, superest hoc, Regule, solum,
  Ut tua vendamus munera: numquid emis?

XXIV. *De consulatu Silii.*

Augusto pia tura, victimasque
Pro nostro date Silio, Camœnæ.
Bis senos jubet en redire fasces
Nato consule, nobilique virga
Vatis Castaliam domum sonare.
Rerum prima salus et una Cæsar,
Gaudenti superest adhuc quod optet
Felix purpura, tertiusque consul.
Pompejo dederit licet senatus,
Et Cæsar genero sacros honores,
Quorum pacificus ter ampliavit
Janus nomina: Silius frequentes
Mavult sic numerare consulatus.

XXV. *Ad Avitum.*

Note, licet nobis, sublimi pectore vates,
  Cui referet servus præmia digna cinis,
Hoc tibi sub nostra breve carmen imagine vivat,
  Quam non obscuris jungis, Avite, viris.
Ille ego sum nulli nugarum laude secundus:
  Quem non miraris, sed puto, lector, amas.
Majores majora sonent: mihi parva locuto
  Sufficit in vestras sæpe redire manus.

XXVI. *Ad Flaccum.*

Sic in gramine floreo reclinis,
Qua gemmantibus hinc et inde rivis

Curva calculus excitatur unda,
Exclusis procul omnibus molestis,
Perfundas glaciem triente nigro,
Frontem sutilibus ruber coronis:
Infamem nimio calore Cypron
Observes, moneo precorque, Flacce,
Messes area cum teret crepantes,
Et fulvi juba sæviet leonis.
At tu, diva Paphi, remitte nostris
Illæsum juvenem remitte votis.
Sic Martis tibi serviant Kalendæ,
Et cum ture, meroque, victimaque
Libetur tibi candidus ad aras
Secta plurima quadra de placenta.

XXVII. *Ad Philerotem.*

Septima jam, Phileros, tibi conditur uxor in agro.
Plus nulli, Phileros, quam tibi, reddit ager.

XXVIIII. *Ad Julium Martialem.*

Vitam quæ faciunt beatiorem,
Jucundissime Martialis, hæc sunt:
Res non parta labore, sed relicta;
Non ingratus ager; focus perennis;
Lis nunquam; toga rara; mens quieta;
Vires ingenuæ; salubre corpus;
Prudens simplicitas; pares amici;
Convictus facilis; sine arte mensa;
Nox non ebria, sed soluta curis;
Somnus, qui faciat breves tenebras:
Quod sis, esse velis, nihilque malis;
Summum nec metuas diem, nec optes.

P. VIRGILII MARONIS

ÆNEIDOS

LIBER I.

Ille ego, qui quondam gracili modulatus avena
Carmen, et egressus sylvis, vicina coegi,
Ut quamvis avido parerent arva colono;
Gratum opus agricolis: at nunc horrentia Martis

Arma virumque cano, Trojæ qui primus ab oris
Italiam, fato profugus, Lavinaque venit
Litora: multum ille et terris jactatus et alto
Vi superum, sævæ memorem Junonis ob iram:
Multa quoque et bello passus, dum conderet urbem,
Inferretque deos Latio: genus unde Latinum,
Albanique patres, atque altæ mœnia Romæ.
Musa mihi causas memora, quo numine læso,
Quidve dolens regina deum, tot volvere casus
Insignem pietate virum, tot adire labores,
Impulerit: *tantæne animis cœlestibus iræ!*
Urbs antiqua fuit; Tyrii tenuere coloni;
Carthago, Italiam contra Tiberinaque longe
Ostia, dives opum, studiisque asperrima belli:
Quam Juno fertur terris magis omnibus unam
Posthabita coluisse Samo: hic illius arma,
Hic currus fuit: hoc regnum dea gentibus esse,
Siqua fata sinant, jam tum tenditque fovetque.
Progeniem sed enim Trojano à sanguine duci

Audierat, Tyrias olim quæ verteret arces.
Hinc populum late regem, belloque superbum,
Venturum excidio Lybiæ: *sic voluere Parcas.*
Id metuens, veterisque memor Saturnia belli,
Prima quod ad Trojam pro charis gesserat Argis;
Necdum etiam causæ irarum sævique dolores
Exciderant animo: manet alta mente repostum
Judicium Paridis, spretæque injuria formæ,
Et genus invisum, et rapti Ganymedis honores.
His accensa super, jactatos æquore toto
Troas, reliquias Danaum atque immitis Achilli,
Arcebat longe Latio: multosque per annos
Errabant acti fatis maria omnia circum.
Tantæ molis erat Romanam condere gentem.
Vix è conspectu Siculæ telluris in altum
Vela dabant læti, et spumas salis ære ruebant;
Cum Juno æternum servans sub pectore vulnus,
Hæc secum: Mene incepto desistere victam,
Nec posse Italia Teucrorum avertere regem?
Quippe vetor fatis. Pallasne exurere classem
Argivum, atque ipsos potuit submergere ponto,
Unius ob noxam et furias Ajacis Oilei?
Ipsa Jovis rapidum jaculata è nubibus ignem,
Disjecitque rates, evertitque æquora ventis:
Illum expirantem transfixo pectore flammas
Turbine corripuit, scopuloque infixit acuto.
Ast ego, quæ divum incedo regina, Jovisque
Et soror et conjux, una cum gente tot annos
Bella gero. Et quisquam numen Junonis adoret
Præterea, aut supplex aris imponat honorem?
Talia flammato secum dea corde volutans,
Nimborum in patriam, loca fœta furentibus Austris,
Æoliam venit. Hic vasto rex Æolus antro
Luctantes ventos tempestatesque sonoras
Imperio premit, ac vinclis et carcere frenat.
Illi indignantes magno cum murmure montis
Circum claustra fremunt. Celsa sedet Æolus arce

Sceptra tenens, mollitque animos, et temperat iras.
Ni faciat, maria ac terras cœlumque profundum
Quippe ferant rapidi secum, verrantque per auras.
Sed pater omnipotens speluncis abdidit atris,
Hoc metuens: molemque et montes insuper altos
Imposuit: regemque dedit, qui fœdere certo
Et premere, et laxas sciret dare jussus habenas.
Ad quem tum Juno supplex his vocibus usa est:
Æole, (namque tibi divum pater atque hominum rex
Et mulcere dedit fluctus et tollere ventos)
Gens inimica mihi Tyrrhenum navigat æquor,
Ilium in Italiam portans, victosque penates:
Incute vim ventis, submersasque obrue puppes:
Aut age diversas: et disjice corpora ponto.
Sunt mihi bis septem præstanti corpore Nymphæ,
Quarum, quæ forma pulcherrima, Deiopeam
Connubio jungam stabili, propriamque dicabo:
Omnes ut tecum meritis pro talibus annos
Exigat, et pulchra faciat te prole parentem.
Æolus hæc contra: Tuus, ò regina, quid optes
Explorare labor: mihi jussa capessere fas est.
Tu mihi, quodcumque hoc regni, tu sceptra Jovemque
Concilias: tu das epulis accumbere divum,
Nimborumque facis, tempestatumque potentem.
Hæc ubi dicta, cavum conversa cuspide montem
Impulit in latus: ac venti, velut agmine facto,
Qua data porta, ruunt, et terras turbine perflant.
Incubuere mari, totumque à sedibus imis
Una Eurusque Notusque ruunt, creberque procellis
Africus; et vastos volvunt ad litora fluctus.
Insequitur clamorque virum, stridorque rudentum;
Eripiunt subito nubes cœlumque diemque
Teucrorum ex oculis: ponto nox incubat atra.
Intonuere poli, et crebris micat ignibus æther:
Præsentemque viris intentant omnia mortem.
Extemplo Æneæ solvuntur frigore membra:
Ingemit, et duplices tendens ad sidera palmas,

Talia voce refert: O terque quaterque beati!
Queis ante ora patrum Trojæ sub mœnibus altis
Contigit oppetere! O Danaum fortissime gentis
Tydide, mene Iliacis occumbere campis
Non potuisse, tuaque animam hanc effundere dextra?
Sævus ubi Æacidæ telo jacet Hector, ubi ingens
Sarpedon: ubi tot Simois correpta sub undis
Scuta virum galeasque et fortia corpora volvit.
Talia jactanti stridens Aquilone procella
Velum adversa ferit, fluctusque ad sidera tollit:
Franguntur remi: tum prora avertit, et undis
Dat latus: insequitur cumulo præruptus aquæ mons.
Hi summo in fluctu pendent: his unda dehiscens
Terram inter fluctus aperit: furit æstus arenis.
Tres Notus abreptas in saxa latentia torquet:
Saxa vocant Itali, mediis quæ in fluctibus, aras:
Dorsum immane mari summo. Tres Eurus ab alto
In brevia et Syrtes urget (miserabile visu)
Illiditque vadis, atque aggere cingit arenæ.
Unam, quæ Lycios fidumque vehebat Orontem,
Ipsius ante oculos ingens à vertice pontus
In puppim ferit. Excutitur, pronusque magister
Volvitur in caput. Ast illam ter fluctus ibidem
Torquet agens circum, et rapidus vorat æquore vortex.
Apparent rari nantes in gurgite vasto;
Arma virùm, tabulæque, et Troia gaza per undas.
Jam validam Ilionei navem, jam fortis Achatæ,
Et qua vectus Abas, et qua grandævus Aletes,
Vicit hyems. Laxis laterum compagibus omnes
Accipiunt inimicum imbrem, rimisque fatiscunt.
Interea magno misceri murmure pontum,
Emissamque hiemem sensit Neptunus, et imis
Stagna refusa vadis: graviter commotus, et alto
Prospiciens, summa placidum caput extulit unda.
Disjectam Æneæ toto videt æquore classem:
Fluctibus oppressos Troas, cœlique ruina.
Nec latuere doli fratrem Junonis et iræ.

Eurum ad se Zephyrumque vocat; dehinc talia fatur:
Tantane vos generis tenuit fiducia vestri?
Jam cœlum terramque meo sine numine, venti,
Miscere, et tantas audetis tollere moles?
Quos ego: sed motos præstat componere fluctus:
Post mihi non simili pœna commissa luetis.
Maturate fugam, regique hæc dicite vestro:
Non illi imperium pelagi sævumque tridentem,
Sed mihi sorte datum: tenet ille immania saxa,
Vestras, Eure, domos. Illa se jactet in aula
Æolus, et clauso ventorum carcere regnet.
Sic ait, et dicto citius tumida æquora placat:
Collectasque fugat nubes, solemque reducit.
Cymothoe simul et Triton adnixus, acuto
Detrudunt naves scopulo: levat ipse tridenti:
Et vastas aperit Syrtes, et temperat æquor:
Atque rotis summas levibus perlabitur undas.
Ac veluti magno in populo cum sæpe coorta est
Seditio, sævitque animis ignobile vulgus;
Jamque faces et saxa volant; furor arma ministrat:
Tum, pietate gravem ac meritis si forte virum quem
Conspexere, silent; arrectisque auribus astant:
Iste regit dictis animos, et pectora mulcet.
Sic cunctus pelagi cecidit fragor, æquora postquam
Prospiciens genitor, cœloque invectus aperto
Flectit equos, curruque volans dat lora secundo.
Defessi Æneadæ, quæ proxima, litora cursu
Contendunt petere. et Libyæ vertuntur ad oras.
Est in secessu longo locus: insula portum
Efficit objectu laterum, quibus omnis ab alto
Frangitur, inque sinus scindit sese unda reductos.
Hinc atque hinc vastæ rupes, geminique minantur
In cœlum scopuli: quorum sub vertice late
Æquora tuta silent: tum sylvis scena coruscis
Desuper, horrentique atrum nemus imminet umbra.
Fronte sub adversa scopulis pendentibus antrum:
Intus aquæ dulces, vivoque sedilia saxo:

Nympharum domus. Hic fessas non vincula naves
Ulla tenent: unco non alligat anchora morsu.
Huc septem Æneas collectis navibus omni
Ex numero subit: ac magno telluris amore
Egressi optata potiuntur Troes arena,
Et sale tabentes artus in litore ponunt.
Ac primum silici scintillam excudit Achates,
Suscepitque ignem foliis, atque arida circum
Nutrimenta dedit, rapuitque in fomite flammam.
Tum Cererem corruptam undis, Cerealiaque arma
Expediunt fessi rerum; frugesque receptas
Et torrere parant flammis, et frangere saxo.
Æneas scopulum interea conscendit, et omnem
Prospectum late pelago petit; Anthea siquem
Jactatum vento videat, Phrygiasque biremes,
Aut Capyn, aut celsis in puppibus arma Caici.
Navem in conspectu nullam: tres litore cervos
Prospicit errantes: hos tota armenta sequuntur
A tergo, et longum per valles pascitur agmen.
Constitit hic, arcumque manu celeresque sagittas
Corripuit; fidus quæ tela gerebat Achates;
Ductoresque ipsos primum capita alta ferentes
Cornibus arboreis sternit; tum vulgus, et omnem
Miscet agens telis nemora inter frondea turbam:
Nec prius absistit, quam septem ingentia victor
Corpora fundat humi, et numerum cum navibus æquet.
Hinc portum petit, et socios partitur in omnes.
Vina, bonus quæ deinde cadis onerarat Acestes
Litore Trinacrio, dederatque abeuntibus heros,
Dividit, et dictis mœrentia pectora mulcet.
O socii, (neque enim ignari sumus ante malorum)
O passi graviora; dabit deus his quoque finem.
Vos et Scyllæam rabiem penitusque sonantes
Accestis scopulos: vos et Cyclopea saxa
Experti: revocate animos, mœstumque timorem
Mittite: forsan et hæc olim meminisse juvabit.
Per varios casus, per tot discrimina rerum

Tendimus in Latium: sedes ubi fata quietas
Ostendunt: illic fas regna resurgere Trojæ.
Durate, et vosmet rebus servate secundis.
  Talia voce refert: curisque ingentibus æger
Spem vultu simulat, premit altum corde dolorem.
Illi se prædæ accingunt dapibusque futuris:
Tergora diripiunt costis, et viscera nudant.
Pars in frusta secant, verubusque trementia figunt:
Litore ahena locant alii, flammasque ministrant.
Tum victu revocant vires: fusique per herbam,
Implentur veteris Bacchi, pinguisque ferinæ.
Postquam exempta fames epulis, mensæque remotæ,
Amissos longo socios sermone requirunt;
Spemque metumque inter dubii: seu vivere credant,
Sive extrema pati, nec jam exaudire vocatos.
Præcipue pius Æneas, nunc acris Oronti,
Nunc Amyci casum gemit, et crudelia secum
Fata Lyci, fortemque Gyan, fortemque Cloanthum.
  Et jam finis erat: cum Jupiter æthere summo
Despiciens mare velivolum terrasque jacentes,
Litoraque, et latos populos, sic vertice cœli
Constitit, et Libyæ defixit lumina regnis.
Atque illum tales jactantem pectore curas
Tristior, et lacrymis oculos suffusa nitentes,
Alloquitur Venus: O qui res hominumque deûmque
Æternis regis imperiis, et fulmine terres,
Quid meus Æneas in te committere tantum,
Quid Troes potuere? quibus tot funera passis
Cunctus ob Italiam terrarum clauditur orbis?
Certe hinc Romanos olim, volventibus annis,
Hinc fore ductores, revocato à sanguine Teucri,
Qui mare, qui terras omni ditione tenerent,
Pollicitus. Quæ te, genitor, sententia vertit?
Hoc equidem occasum Trojæ tristesque ruinas
Solabar, fatis contraria fata rependens.
Nunc eadem fortuna viros tot casibus actos
Insequitur. Quem das finem, rex magne, laborum?

Antenor potuit mediis elapsus Achivis
Illyricos penetrare sinus atque intima tutus
Regna Liburnorum, et fontem superare Timavi:
Unde per ora novem vasto cum murmure montis
It mare proruptum, et pelago premit arva sonanti.
Hic tamen ille urbem Patavi, sedesque locavit
Teucrorum, et genti nomen dedit, armaque fixit
Troïa. Nunc placida compostus pace quiescit.
Nos, tua progenies, cœli quibus annuis arcem,
Navibus (infandum) amissis, unius ob iram
Prodimur, atque Italis longe disjungimur oris.
Hic pietatis honos? sic nos in sceptra reponis?
Olli subridens hominum sator atque Deorum,
Vultu, quo cœlum tempestatesque serenat,
Oscula libavit natæ: dehinc talia fatur:
Parce metu, Cytherea: manent immota tuorum
Fata tibi: cernes urbem et promissa Lavini
Mœnia, sublimemque feres ad sidera cœli
Magnanimum Æneam: neque me sententia vertit.
Hic tibi (fabor enim, quando hæc te cura remordet,
Longius et volvens fatorum arcana movebo)
Bellum ingens geret Italia, populosque feroces
Contundet; moresque viris et mœnia ponet:
Tertia dum Latio regnantem viderit æstas,
Ternaque transierint Rutulis hyberna subactis.
At puer Ascanius, cui nunc cognomen Iulo
Additur, (Ilus erat dum res stetit Ilia regno)
Triginta magnos volvendis mensibus orbes
Imperio explebit, regnumque à sede Lavini
Transferet, et longam multa vi muniet Albam.
Hic jam tercentum totos regnabitur annos
Gente sub Hectorea; donec regina sacerdos
Marte gravis geminam partu dabit Ilia prolem.
Inde lupæ fulvo nutricis tegmine lætus
Romulus excipiet gentem, et Mavortia condet
Mænia, Romanosque suo de nomine dicet.
His ego nec metas rerum, nec tempora pono:

Imperium sine fine dedi: quin aspera Juno,
Quæ mare nunc terrasque metu cœlumque fatigat,
Consilia in melius referet, mecumque fovebit
Romanos rerum dominos, gentemque togatam.
Sic placitum: veniet lustris labentibus ætas,
Cum domus Assaraci Pythiam, clarasque Mycenas
Servitio premet, ac victis dominabitur Argis.
Nascetur pulchra Trojanus origine Cæsar,
Imperium Oceano, famam qui terminet astris;
Julius, à magno demissum nomen Iulo.
Hunc tu olim cœlo, spoliis Orientis onustum,
Accipies secura: vocabitur hic quoque votis.
Aspera tum positis mitescent sæcula bellis.
Cana fides, et Vesta, Remo cum fratre Quirinus,
Jura dabunt: diræ ferro et compagibus arctis
Claudentur belli portæ. Furor impius intus
Sæva sedens super arma, et centum vinctus ahenis
Post tergum nodis, fremet horridus ore cruento.
Hæc ait: et Maja genitum demittit ab alto;
Ut terræ, utque novæ pateant Carthaginis arces
Hospitio Teucris: ne fati nescia Dido
Finibus arceret. Volat ille per aera magnum
Remigio alarum: ac Lybiæ citus adstitit oris.
Et jam jussa facit: ponuntque ferocia Pœni
Corda, volente deo. In primis regina quietum
Accipit in Teucros animum, mentemque benignam.
At pius Æneas, per noctem plurima volvens,
Ut primum lux alma data est, exire; locosque
Explorare novos, quas vento accesserit oras:
Qui teneant (nam inculta videt) hominesne, feræne,
Quærere constituit, sociisque exacta referre.
Classem in convexo nemorum, sub rupe cavata,
Arboribus clausam circum atque horrentibus umbris
Occulit. Ipse uno graditur comitatus Achate;
Bina manu lato crispans hastilia ferro.
Cui mater media sese tulit obvia sylva,
Virginis os habitumque gerens, et virginis arma

Spartanæ: vel qualis equos Threïssa fatigat
Harpalyce, volucremque fuga prævertitur Hæbrum.
Namque humeris de more habilem suspenderat arcum
Venatrix, dederatque comam diffundere ventis;
Nuda genu, nodoque sinus collecta fluentes.
At prior, Heus, inquit, juvenes, monstrate mearum
Vidistis si quam hic errantem forte sororum,
Succinctam pharetra et maculosæ tegmine lyncis
Aut spumantis apri cursum clamore prementem.
Sic Venus; at Veneris contra sic filius orsus:
Nulla tuarum audita mihi neque visa sororum,
O quam te memorem? virgo; namque haud tibi vultus
Mortalis, nec vox hominem sonat; ò Dea certe;
An Phœbi soror, an Nympharum sanguinis una?
Sis felix, nostrumque leves quæcumque laborem:
Et quo sub cœlo tandem, quibus orbis in oris
Jactemur, doceas. Ignari hominumque locorumque
Erramus, vento huc et vastis fluctibus acti.
Multa tibi ante aras nostra cadet hostia dextra.
Tum Venus: haud equidem tali me dignor honore:
Virginibus Tyriis mos est gestare pharetram,
Purpureoque alte suras vincire cothurno.
Punica regna vides, Tyrios, et Agenoris urbem:
Sed fines Lybici, genus intractabile bello.
Imperium Dido Tyria regit urbe profecta,
Germanum fugiens. Longa est injuria, longæ
Ambages; sed summa sequar fastigia rerum.
Huic conjux Sichæus erat, ditissimus agri
Phœnicum, et magno miseræ dilectus amore:
Cui pater intactam dederat, primisque jugarat
Ominibus: sed regna Tyri germanus habebat
Pygmalion, scelere ante alios immanior omnes.
Quos inter medius venit Furor: ille Sichæum
Impius ante aras, atque auri cœcus amore,
Clam ferro incautum superat, securus amorum
Germanæ: factumque diu celavit, et ægram,
Multa malus simulans, vana spe lusit amantem.

Ipsa sed in somnis inhumati venit imago
Conjugis; ora modis attollens pallida miris,
Crudeles aras, trajectaque pectora ferro
Nudavit; cæcumque domus scelus omne retexit.
Tum celerare fugam, patriaque excedere suadet,
Auxiliumque viæ veteres tellure recludit
Thesauros, ignotum argenti pondus et auri.
His commota fugam Dido sociosque parabat.
Conveniunt, quibus aut odium crudele tyranni,
Aut metus acer erat: naves, quæ forte paratæ,
Corripiunt, onerantque auro: portantur avari
Pygmalionis opes pelago: dux femina facti.
Devenere locos, ubi nunc ingentia cernes
Mœnia, surgentemque novæ Carthaginis arcem:
Mercatique solum, facti de nomine Byrsam,
Taurino quantum possent circumdare tergo.
Sed vos qui tandem, quibus aut venistis ab oris,
Quove tenetis iter? Quærenti talibus ille
Suspirans, imoque trahens à pectore vocem:
O Dea, si prima repetens ab origine pergam,
Et vacet annales nostrorum audire laborum;
Ante diem clauso componet vesper Olympo.
Nos Troja antiqua, si vestras forte per aures
Trojæ nomen iit, diversa per æquora vectos
Forte sua Libycis tempestas appulit oris.
Sum pius Ænæas, raptos qui ex hoste penates
Classe veho mecum, fama super æthera notus.
Italiam quæro patriam, et genus ab Jove summo.
Bis denis Phrygium conscendi navibus æquor,
Matre Dea monstrante viam, data fata secutus;
Vix septem convulsæ undis, Euroque supersunt.
Ipse ignotus, egens, Libyæ deserta peragro,
Europa atque Asia pulsus. Nec plura querentem
Passa Venus medio sic interfata dolore est:
Quisquis es, haud, credo, invisus cœlestibus auras
Vitales carpis, Tyriam qui adveneris urbem.
Perge modo, atque hinc te reginæ ad limina perfer.

Namque tibi reduces socios, classemque relatam
Nuntio, et in tutum versis aquilonibus actam:
Ni frustra augurium vani docuere parentes.
Aspice bis senos lætantes agmine cycnos,
Ætherea quos lapsa plaga Jovis ales aperto
Turbabat cœlo: nunc terras ordine longo
Aut capere, aut captas jam despectare videntur.
Ut reduces illi ludunt stridentibus alis,
Et cœtu cinxere polum, cantusque dedere:
Haud aliter puppesque tuæ, pubesque tuorum
Aut portum tenet, aut pleno subit ostia velo.
Perge modo, et qua te ducit via, dirige gressum.
Dixit, et avertens rosea cervice refulsit,
Ambrosiæque comæ divinum vertice odorem
Spiravere: pedes vestis defluxit ad imos,
Et vera incessu patuit dea. Ille, ubi matrem
Agnovit, tali fugientem est voce secutus:
Quid natum toties crudelis tu quoque falsis
Ludis imaginibus? cur dextræ jungere dextram
Non datur, ac veras audire et reddere voces?
Talibus incusat, gressumque ad mœnia tendit.
At Venus obscuro gradientes aere sæpsit;
Et multo nebulæ circum dea fudit amictu:
Cernere ne quis eos, neu quis contigere posset,
Molirive moram, aut veniendi poscere causas.
Ipsa Paphum sublimis abit, sedesque revisit
Læta suas: ubi templum illi, centumque Sabæo
Thure calent aræ, sertisque recentibus halant.
Corripuere viam interea, qua semita monstrat.
Jamque ascendebant collem, qui plurimus urbi
Imminet, adversasque aspectat desuper arces.
Miratur molem Æneas, magalia quondam:
Miratur portas, strepitumque, et strata viarum.
Instant ardentes Tyrii: pars ducere muros,
Molirique arcem, et manibus subvolvere saxa:
Pars optare locum tecto, et concludere sulco.
Jura, magistratusque legunt, sanctumque senatum.

Hic portus alii effodiunt: hic alta theatri
Fundamenta locant alii, immanesque columnas
Rupibus excidunt, scenis decora alta futuris.
Qualis apes æstate nova per florea rura
Exercet sub sole labor; cum gentis adultos
Educunt fœtus, aut cum liquentia mella
Stipant, et dulci distendunt nectare cellas:
Aut onera accipiunt venientum, aut agmine facto
Ignavum fucos pecus à præsepibus arcent.
Fervet opus, redolentque thymo fragrantia mella.
O fortunati, quorum jam mœnia surgunt!
Æneas ait, et fastigia suspicit urbis.
Infert se septus nebula (mirabile dictu)
Per medios, miscetque viris; neque cernitur ulli.
Lucus in urbe fuit media, lætissimus umbra,
Quo primum jactati undis et turbine, Pœni
Effodere loco signum, quod regia Juno
Monstrarat, caput acris equi; sic nam fore bello
Egregiam, et facilem victu per sæcula gentem.
Hic templum Junoni ingens Sidonia Dido
Condebat, donis opulentum et numine divæ:
Ærea cui gradibus surgebant limina, nexæque
Ære trabes: foribus cardo stridebat ahenis.
Hoc primum in luco nova res oblata timorem
Leniit: hic primum Æneas sperare salutem
Ausus, et afflictis melius confidere rebus:
Namque, sub ingenti lustrat dum singula templo,
Reginam opperiens, dum quæ fortuna sit urbi,
Artificumque manus inter se operumque labores
Miratur, videt Iliacas ex ordine pugnas,
Bellaque jam fama totum vulgata per orbem:
Atridas, Priamumque, et sævum ambobus Achillem.
Constitit; et lacrymans, quis jam locus, inquit, Achate,
Quæ regio in terris nostri non plena laboris?
En Priamus: sunt hic etiam sua præmia laudi:
Sunt lacrymæ rerum: et mentem mortalia tangunt.
Solve metus: feret hæc aliquam tibi fama salutem.

Sic ait, atque animum pictura pascit inani
Multa gemens, largoque humectat flumine vultum.
Namque videbat, uti bellantes Pergama circum
Hac fugerent Graji, premeret Trojana juventus:
Hac Phryges; instaret curru cristatus Achiles.
Nec procul hinc Rhesi niveis tentoria velis
Agnoscit lacrymans; primo quæ prodita somno
Tydides multa vastabat cæde cruentus:
Ardentesque avertit equos in castra, priusquam
Pabula gustassent Trojæ, Xanthumque bibissent.
Parte alia fugiens amissis Troilus armis,
Infelix puer, atque impar congressus Achilli,
Fertur equis, curruque hæret resupinus inani,
Lora tenens tamen: huic cervixque comæque trahuntur
Per terram, et versa pulvis inscribìtur hasta.
Interea ad templum non æquæ Palladis ibant
Crinibus Iliades passis, peplumque ferebant
Suppliciter tristes, et tunsæ pectora palmis.
Diva solo *fixos* oculos aversa tenebat.
Ter circum Iliacos raptaverat Hectora muros,
Exanimumque auro corpus vendebat Achilles.
Tum vero ingentem gemitum dat pectore ab imo:
Ut spolia, ut currus, utque ipsum corpus amici,
Tendentemque manus Priamum conspexit inermes.
Se quoque principibus permixtum agnovit Achivis,
Eoasque acies, et nigri Memnonis arma.
Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis
Penthesilea furens, mediisque in millibus ardet
Aurea subnectens exsertæ cingula mammæ
Bellatrix, audetque viris concurrere virgo.
Hæc dum Dardanio Æneæ miranda videntur,
Dum stupet, obtutuque hæret defixus in uno;
Regina ad templum forma pulcherrima Dido
Incessit, magna juvenum stipante caterva.
Qualis in Eurotæ ripis, aut per juga Cynthi
Exercet Diana choros; quam mille secutæ
Hinc atque hic glomerantur Oreades: illa pharetram

Fert humero, gradiensque deas supereminet omnes:
Latonæ tacitum pertentat gaudia pectus.
Talis erat Dido, talem se læta ferebat
Per medios, instans operi, regnisque futuris.
Tum foribus divæ, media testudine templi,
Septa armis, solioque alte subnixa resedit.
Jura dabat, legesque viris: operumque laborem
Partibus æquabat justis, aut sorte trahebat:
Cum subito Æneas concursu accedere magno
Anthea Sergestumque videt, fortemque Cloanthum,
Teucrorumque alios: ater quos æquore turbo
Dispulerat, penitusque alias advexerat oras.
Obstupuit simul ipse, simul perculsus Achates
Lætitiaque metuque; avidi conjungere dextras
Ardebant: sed res animos incognita turbat.
Dissimulant; et nube cava speculantur amicti,
Quæ fortuna viris; classem quo litore linquant;
Quid veniant. Cunctis nam lecti navibus ibant
Orantes veniam, et templum clamore petebant.
Postquam introgressi, et coram data copia fandi;
Maximus Ilioneus placido sic pectore cœpit:
O regina, novam cui condere Jupiter urbem,
Justitiaque dedit gentes frenare superbas,
Troes te miseri ventis maria omnia vecti,
Oramus: prohibe infandos à navibus ignes;
Parce pio generi, et propius res aspice nostras.
Non nos aut ferro Lybicos populare penates
Venimus, aut raptas ad litora vertere prædas:
Non ea vis animo, nec tanta superbia victis.
Est locus, Hesperiam Graji cognomine dicunt,
Terra antiqua, potens armis, atque ubere glebæ:
Oenotrii coluere viri: nunc fama, minores
Italiam dixisse ducis de nomine gentem.
Huc cursus fuit.
Cum subito assurgens fluctu nimbosus Orion
In vada cœca tulit, penitusque procacibus Austris,
Perque undas, superante salo, perque invia saxa

Dispulit. Huc pauci vestris adnavimus oris.
Quod genus hoc hominum, quæve hunc tam barbara morem
Permittit patria? hospitio prohibemur arenæ.
Bella cient, primaque vetant consistere terra.
Si genus humanum et mortalia temnitis arma;
At sperate Deos memores fandi atque nefandi.
Rex erat Æneas nobis, quo justior alter
Nec pietate fuit, nec bello major et armis.
Quem si fata virum servant, si vescitur aura
Ætherea, neque adhuc crudelibus occubat umbris;
Non metus, officio nec te certasse priorem
Pœniteat. Sunt et Siculis regionibus urbes,
Armaque, Trojanoque à sanguine clarus Acestes.
Quassatam ventis liceat subducere classem,
Et sylvis aptare trabes, et stringere remos.
Si datur Italiam, sociis et rege recepto,
Tendere, ut Italiam læti Latiumque petamus.
Sin absumpta salus, et te, pater optime Teucrum,
Pontus habet Libyæ, nec spes jam restat Iuli;
At freta Sicaniæ saltem, sedesque paratas,
Unde huc advecti, regemque petamus Acesten.
Talibus Ilioneus: cuncti simul ore fremebant
Dardanidæ.

Tum breviter Dido, vultum demissa, profatur:
Solvite corde metu, Teucri: secludite curas.
Res dura, et regni novitas me talia cogunt
Moliri, et late fines custode tueri.
Quis genus Æneadum, quis Trojæ nesciat urbem,
Virtutesque virosque, aut tanti incendia belli?
Non obtusa adeo gestamus pectora Pœni:
Nec tam aversus equos Tyria sol jungit ab urbe.
Seu vos Hesperiam magnam, Saturniaque arva,
Sive Erycis fines, regemque optatis Acesten;
Auxilio tutos dimittam; opibusque juvabo:
Vultis et his mecum pariter considere regnis?
Urbem quam statuo, vestra est: subducite naves.
Tros Tyriusque mihi nullo discrimine agetur.

Atque utinam rex ipse Noto compulsus eodem,
Afforet Æneas! equidem per litora certos
Dimittam, et Lybiæ lustrare extrema jubebo;
Si quibus ejectus sylvis aut urbibus errat.
His animum arrecti dictis, et fortis Achates,
Et pater Æneas, jamdudum erumpere nubem
Ardebant. Prior Æneam compellat Achates:
Nate Dea, quæ nunc animo sententia surgit?
Omnia tuta vides, classem, sociosque receptos.
Unus abest, medio in fluctu quem vidimus ipsi
Submersum: dictis respondent cætera matris.
Vix ea fatus erat, cum circumfusa repente
Scindit se nubes, et in æthera purgat apertum.
Restitit Æneas, claraque in luce refulsit:
Os humerosque deo similis, namque ipsa decoram
Cæsariem nato genitrix, lumenque juventæ
Purpureum, et lætos oculis afflarat honores.
Quale manus addunt ebori decus, aut ubi flavo
Argentum, Pariusve lapis circumdatur auro.
Tum sic reginam alloquitur, cunctisque repente
Improvisus ait: Coram, quem quæritis, adsum
Troïus Æneas, Libycis ereptus ab undis.
O sola infandos Trojæ miserata labores;
Quæ nos, reliquias Danaûm, terræque marisque
Omnibus exhaustos jam casibus, omnium egenos,
Urbe, domo socias. Grates persolvere dignas
Non opis est nostræ, Dido, nec quidquid ubique est
Gentis Dardaniæ, magnum quæ sparsa per orbem.
Dî tibi, siqua pios respectant numina, si quid
Usquam justitiæ est, et mens sibi conscia recti,
Præmia digna ferant, quæ te tam læta tulerunt
Sæcula? qui tanti talem genuere parentes?
In freta dum fluvii current, dum montibus umbræ
Lustrabunt convexa, polus dum sidera pascet:
Semper honos, nomenque tuum, laudesque manebunt:
Quæ me cumque vocant terræ. Sic fatus, amicum
Ilionea petit dextra, lævaque Serestum,

Post alios, fortemque Gyan, fortemque Cloanthum.
Obstupuit primo aspectu Sidonia Dido;
Casu deinde viri tanto. Et sic ore locuta est:
Quis te, nate Dea, per tanta pericula casus
Insequitur? quæ vis immanibus applicat oris?
Tune ille Æneas, quem Dardanio Anchisæ
Alma Venus Phrygii genuit Simoentis ad undam?
Atque equidem Teucrum memini Sidona venire,
Finibus expulsum patriis, nova regna petentem
Auxilio Beli. Genitor tum Belus opimam
Vastabat Cyprum, et victor ditione tenebat.
Tempore jam ex illo casus mihi cognitus urbis
Trojanæ, nomenque tuum, regesque Pelasgi,
Ipse hostis Teucros insigni laude ferebat,
Seque ortum antiqua Teucrorum ab stirpe volebat.
Quare agite, ò tectis, juvenes, succedite nostris.
Me quoque per multos similis fortuna labores
Jactatam hac demum voluit consistere terra.
Non ignara mali, miseris sucurrere disco.
Sic memorat: simul Æneam in regia ducit
Tecta: simul divum templis indicit honorem.
Nec minus interea sociis ad litora mittit
Viginti tauros, magnorum horrentia centum
Terga suum, pingues centum cum matribus agnos,
Munera, lætitiamque dei.
At domus interior regali splendida luxu
Instruitur, mediisque parant convivia tectis.
Arte laboratæ vestes, ostroque superbo:
Ingens argentum mensis, cælataque in auro
Fortia facta patrum, series longissima rerum,
Per tot ducta viros antiquæ ab origine gentis.
Æneas (neque enim patrius consistere mentem
Passus amor) rapidum ad naves præmittit Achatem,
Ascanio ferat hæc, ipsumque ad mœnia ducat.
Omnis in Ascanio chari stat cura parentis.
Munera præterea Iliacis erepta ruinis
Ferre jubet, pallam signis, auroque rigentem,

Et circumtextum croceo velamen acantho,
Ornatus Argivæ Helenæ: quos illa Mycenis,
Pergama cum peteret, inconcessosque Hymenæos,
Extulerat, matris Ledæ mirabile donum.
Præterea sceptrum, Ilione quod gesserat olim,
Maxima natarum Priami, colloque monile
Baccatum, et duplicem gemmis, auroque coronam.
Hæc celerans, iter ad naves tendebat Achates.
At Cytherea novas artes, nova pectore versat
Consilia, ut faciem mutatus et ora Cupido
Pro dulci Ascanio veniat, donisque furentem
Incendat reginam, atque ossibus implicet ignem.
Quippe domum timet ambiguam, Tyriosque bilingues:
Urit atrox Juno, et sub noctem cura recursat.
Ergo his aligerum dictis affatur amorem:
Nate, meæ vires, mea magna potentia, solus,
Nate, patris summi qui tela Typhoea temnis;
Ad te confugio, et supplex tua numina posco.
Frater ut Æneas pelago tuus omnia circum
Litora jactetur, odiis Junonis iniquæ,
Nota tibi: et nostro doluisti sæpe dolore.
Hunc Phænissa tenet Dido, blandisque moratur
Vocibus: et vereor, quo se Junonia vertant
Hospitia, haud tanto cessabit cardine rerum.
Quocirca capere ante dolis, et cingere flamma
Reginam meditor, ne quo se numine mutet:
Sed magno Æneæ mecum teneatur amore.
Qua facere id possis, nostram nunc accipe mentem.
Regius accitu chari genitoris ad urbem
Sidoniam puer ire parat; mea maxima cura;
Dona ferens pelago et flammis restantia Trojæ.
Hunc ego sopitum somno super alta Cythera,
Aut super Idalium, sacrata sede recondam:
Ne qua scire dolos, mediusve occurrere possit.
Tu faciem illius noctem non amplius unam,
Falle dolo, et notos pueri, puer indue vultus:
Ut, cum te gremio accipiet lætissima Dido,

Regales inter mensas, laticemque Lyæum,
Cum dabit amplexus, atque oscula dulcia figet,
Occultum inspires ignem, fallasque veneno.
Paret amor dictis charæ genitricis, et alas
Exuit, et gressu gaudens incedit Iuli.
At Venus Ascanio placidam per membra quietem
Irrigat, et fotum gremio Dea tollit in altos
Idaliæ lucos: ubi mollis amaracus illum
Floribus et dulci aspirans complectitur umbra.
Jamque ibat dicto parens, et dona Cupido
Regia portabat Tyriis, dulce lætus Achate.
Cum venit, aulæis jam se regina superbis
Aurea composuit sponda, mediamque locavit.
  Jam pater Æneas, et jam Trojana juventus
Conveniunt, stratoque super discumbitur ostro.
Dant famuli manibus lymphas, Cereremque canistris
Expediunt, tonsisque ferunt mantilia villis.
Quinquaginta intus famulæ: quibus ordine longo
Cura penum struere, et flammis adolere Penates.
Centum aliæ, totidemque pares ætate ministri,
Qui dapibus mensas onerent, et pocula ponant.
Necnon et Tyrii per limina læta frequentes
Convenere, toris jussi discumbere pictis.
Mirantur dona Æneæ; mirantur Iulum,
Flagrantesque dei vultus, simulataque verba,
Pallamque, et pictum croceo velamen acantho.
Præcipue infelix, pesti devota futuræ,
Expleri mentem nequit, ardescitque tuendo
Phœnissa, et puero pariter donisque movetur.
Ille, ubi complexu Æneæ, colloque pependit,
Et magnum falsi implevit genitoris amorem;
Reginam petit. Hæc oculis, hæc pectore toto
Hæret: et interdum gremio fovet: inscia Dido,
Insidat quantus miseræ Deus. At memor ille
Matris Acidaliæ, paulatim abolere Sichæum
Incipit, et vivo tentat prævertere amore
Jampridem resides animos, desuetaque corda.

Postquam prima quies epulis, mensæque remotæ;
Crateras magnos statuunt, et vina coronant,
Fit strepitus tectis, vocemque per ampla volutant
Atria: dependent lychni laquearibus aureis
Incensi, et noctem flammis funalia vincunt.
Hic regina gravem gemmis auroque poposcit,
Implevitque mero pateram, quam Belus, et omnes
A Belo soliti. Tum facta silentia tectis:
Jupiter (hospitibus nam te dare jura loquuntur)
Hunc lætum Tyriisque diem Trojaque profectis
Esse velis, nostrosque hujus meminisse minores.
Adsit lætitiæ Bacchus dator, et bona Juno.
Et vos, ò, cœtum, Tyrii, celebrate faventes.
Dixit, et in mensam laticum libavit honorem,
Primaque libato summo tenus attigit ore.
Tum Bitiæ dedit increpitans. Ille impiger hausit
Spumantem pateram, et pleno se proluit auro.
Post alii proceres. Cithara crinitus Jopas
Personat aurata, docuit quæ maximus Atlas.
Hic canit errantem Lunam, Solisque labores;
Unde hominum genus, et pecudes, unde imber, et ignes;
Arcturum, pluviasque Hyadas, geminosque Triones:
Quid tantum Oceano properent se tingere soles
Hiberni, vel quæ tardis mora noctibus obstet.
Ingeminant plausum Tyrii, Troesque sequuntur.
Nec non et vario noctem sermone trahebat
Infelix Dido, longumque bibebat amorem;
Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa:
Nunc, quibus Auroræ venisset filius armis:
Nunc, quales Diomedis equi: nunc, quantus Achilles,
Imo age, et à prima, dic, hospes, origine nobis
Insidias, inquit, Danaûm, casusque tuorum,
Erroresque tuos. Nam te jam septima portat
Omnibus errantem terris et fluctibus æstas.



ÆNEIDOS

LIBER II.



Conticuere omnes, intentique ora tenebant:
Inde toro pater Æneas sic orsus ab alto:
Infandum, regina, jubes renovare dolorem;
Trojanas ut opes, et lamentabile regnum
Eruerint Danai: quæque ipse miserrima vidi,
Et quorum pars magna fui. Quis talia fando
Myrmidonum, Dolupumve, aut duri miles Ulyssei,
Tempere à lacrymis! et jam nox humida cœlo
Præcipitat, suadentque cadentia sidera somnos.
Sed, si tantus amor casus cognoscere nostros,
Et breviter. Troiæ supremum audire laborem;
Quamquam animus meminisse horret, luctuque refugit,
Incipiam. Fracti bello, fatisque repulsi
Ductores Danaum, tot jam labentibus annis,
Instar montis equum divina Palladis arte
Ædificant, sectaque intexunt abiete costas.
Votum pro reditu simulant; ea fama vagatur.
Huc delecta virûm sortiti corpora furtim
Includunt cæco lateri, penitusque cavernas
Ingentes uterumque armato milite complent.
Est in conspectu Tenedos, notissima fama
Insula, dives opum, Priami dum regna manebant;
Nunc tantum sinus, et statio male fida carinis;
Huc se provecti deserto in litore condunt,
Nos abisse rati, et vento petiisse Mycenas.
Ergo omnis longo solvit se Teucria luctu,
Panduntur portæ, jubat ire, et Dorica castra,

Desertosque videre locos, litusque relictum.
Hic Dolopum manus, hic sævus tendebat Achiles:
Classibus hic locus, hic acies certare solebant.
Pars stupet innuptæ donum exitiale Minervæ,
Et molem mirantur equi: primusque Thymœtes
Duci intra muros hortatur, et arce locari;
Sive dolo, seu jam Trojæ sic fata ferebant.
At Capys, et quorum melior sententia menti,
Aut pelago Danaum insidias, suspectaque dona
Præcipitare jubent, subjectisque urere flammis:
Aut terebrare cavas uteri, et tentare latebras.
Scinditur incertum studia in contraria vulgus.

Primus ibi ante omnes, magna comitante caterva,
Laocoon ardens summa decurrit ab arce:
Et procul, ò miseri, quæ tanta insania, cives?
Creditis avectos hostes? aut ulla putatis
Dona carere dolis Danaum? Sic notus Ulysses?
Aut hoc inclusi ligno occultantur Achivi,
Aut hæc in nostros fabricata est machina muros,
Inspectura domos, venturaque desuper urbi;
Aut aliquis later error. Equo ne credite, Teucri.
Quidquid id est, timeo Danaos, et dona ferentes.
Sic fatus, validis ingentem viribus hastam
In latus, inque feri curvam compagibus alvum
Contorsit. Stetit illa tremens, uteroque recurso
Insonuere cavæ gemitumque dedere cavernæ.
Et, si fata deum, si mens non læva fuisset,
Impulerat ferro Argolicas fœdare latebras;
Trojaque nunc stares, Priamique arx alta maneres.

Ecce, manus juvenem interea post terga revinctum
Pastores magno ad regem clamore trahebant
Dardanidæ: qui se ignotum venientibus ultro,
Hoc ipsum ut strueret, Trojamque aperiret Achivis,
Obtulerat, fidens animi, atque in utrumque paratus,
Seu versare dolos, seu certæ occumbere morti.
Undique visendi studio Trojana juventus
Circumfusa ruit, certantque illudere capto.

Accipe nunc Danaum insidias, et crimine ab uno
Disce omnes.
Namque, ut conspectu in medio turbatus inermis
Constitit, atque oculis Phrygia agmina circumspexit:
Heu, quæ nunc tellus, inquit, quæ me æquora possunt
Accipere? aut quid jam misero mihi denique restat?
Cui neque apud Danaos usquam locus: et super ipsi
Dardanidæ infensi pœnas cum sanguine poscunt.
Quo gemitu conversi animi, compressus et omnis
Impetus: hortamur fari, quo sanguine cretus,
Quidve ferat, memoret, quæ sit fiducia capto.
Ille hæc, deposita tandem formidine, fatur.
Cuncta equidem tibi, rex, fuerint quæcumque, fatebor
Vera, inquit: neque me Argolica de gente negabo:
Hoc primum: nec, si miserum fortuna Sinonem
Finxit, vanum etiam mendacemque improba finget.
Fando aliquod si forte tuas pervenit ad aures
Belidæ nomen Palamedis, et inclyta fama
Gloria: quem falsa sub proditione Pelasgi
Insontem, infando indicio, quia bella vetabat,
Demisere neci: nunc casum lumine lugent.
Illi me comitem, et consanguinitate propinquum,
Pauper in arma pater primis huc misit ab annis.
Dum stabat regno incolumis, regnumque vigebat
Consiliis; et nos aliquod nomenque decusque
Gessimus, invidiam postquam pellacis Ulyssei
(Haud ignota loquor) superis concessit ab oris:
Afflictus vitam in tenebris luctuque trahebam,
Et casum insontis mecum indignabar amici:
Nec tacui demens: et me, fors siqua tulisset,
Si patrios unquam remeassem victor ad Argos,
Promisi ultorem: et verbis odia aspera movi.
Hinc mihi prima mali labes: hinc semper Ulysses
Criminibus terrere novis: hinc spargere voces
In vulgum ambiguas, et quærere conscius arma.
Nec requievit enim, donec Calchante ministro.
Sed quid ego hæc autem nequidquam ingrata revolvo!

Quidve moror? si omnes uno ordine habetis Achivos,
Idque audire sat est; jamdudum sumite pœnas.
Hoc Ithacus velit, et magno mercentur Atridæ.
Tum vero ardemus scitari et quærere causas,
Ignari scelerum tantorum, artisque Pelasgæ.
Prosequitur pavitans, et ficto pectore fatur.
  Sæpe fugam Danai Troja cupiere relicta
Moliri, et longo fessi discedere bello.
Fecissentque utinam! sæpe illos aspera ponti
Interclusit hyems, et terruit Auster euntes.
Præcipue, cum jam hic trabibus contectus acernis
Staret equus, toto sonuerunt æthere nimbi.
Suspensi Eurypylum scitatum oracula Phœbi
Mittimus, isque adytis hæc tristia dicta reportat:
Sanguine placastis ventos, et virgine cæsa,
Cum primum Illiacas Danai venistis ad oras:
Sanguine quærendi reditus, animaque litandum
Argolica: vulgi quæ vox ut venit ad aures,
Obstupuere animis, gelidusque per ima cucurrit
Ossa tremor; cui fata parent, quem poscat Apollo.
Hic Ithacus vatem magno Calchanta tumultu
Protrahit in medios: quæ sint ea numina Divum
Flagitat. Et mihi jam multi crudele canebant
Artificis scelus, et taciti ventura videbant.
Bis quinos silet ille dies, tectusque recusat
Prodere voce sua quemquam, aut oponere morti.
Vix tandem magnis Ithaci clamoribus actus,
Composito rumpit vocem, et me destinat aræ.
Assensere omnes: et quæ sibi quisque timebat,
Unius in miseri exitium conversa tulere.
Jamque dies infanda aderat: mihi sacra parari,
Et salsæ fruges, et circum tempóra vittæ,
Eripui (fateor) leto me, et vincula rupi,
Limosoque lacu per noctem obscurus in ulva
Delitui, dum vela darent, si forte dedissent.
Nec mihi jam patriam antiquam spes ulla videndi,
Nec dulces natos, exoptatumque parentem:

Quos illi fors ad pœnas ob nostra reposcent
Effugia, et culpam hanc miserorum morte piabunt.
Quod te, per superos, et conscia numina veri,
Per, siqua est, quæ restat adhuc mortalibus usquam
Intemerata fides, oro; miserere laborum
Tantorum: miserere animi non digna ferentis.
His lacrymis vitam damus, et miserescimus ultro.
Ipse viro primus manicas, atque arcta levari
Vincla jubet Priamus; dictisque ita fatur amicis:
Quisquis es, amissos hinc jam obliviscere Grajos;
Noster eris: mihi hæc edissere vera roganti.
Quo molem hanc immanis equi statuere? quis auctor?
Quidve petunt? quæ relligio? aut quæ machina belli?
Dixerat. Ille dolis instructus et arte Pelasga,
Sustulit exutas vinclis ad sidera palmas:
Vos, æterni ignes, et non violabile vestrum
Testor numen, ait: vos aræ, ensesque nefandi,
Quos fugi, vittæque deûm, quas hostia gessi;
Fas mihi Grajorum sacrata resolvere jura,
Fas odisse viros, atque omnia ferre sub auras,
Si qua tegunt: teneor patriæ nec legibus ullis.
Tu modo promissis maneas, servataque serves
Troja fidem; si vera feram, si magna rependam.
Omnis spes Danaûm, et cœpti fiducia belli
Palladis auxiliis semper stetit. Impius ex quo
Tydides sed enim, scelerumque inventor Ulysses,
Fatale aggressi sacrato avellere templo
Palladium, cæsis summæ custodibus arcis,
Corripuere sacram effigiem, manibusque cruentis
Virgineas ausi Divæ contingere vittas:
Ex illo fluere ac retro sublapsa referri
Spes Danaûm, fractæ vires, aversa deæ mens.
Nec dubiis ea signa dedit Tritonia monstris.
Vix positum castris simulacrum; arsere coruscæ
Luminibus flammæ arrectis, salsusque per artus
Sudor iit: terque ipsa solo (mirabile dictu)
Emicuit, palmamque ferens hastamque trementem.

Extemplo tentanda fuga canit æquora Calchas:
Nec posse Argolicis exscindi Pergama telis;
Omina ni repetant Argis, numenque reducant,
Quod pelago et curvis secum advexere carinis.
Et nunc, quod patrias vento petiere Mycenas,
Arma deosque parant comites, pelagoque remenso
Improvisi aderunt. Ita digerit omnia Calchas.
Hanc pro Palladio moniti, pro numine læso
Effigiem statuere; nefas quæ triste piaret.
Hanc tamen immensam Calchas attollere molem
Roboribus textis, cœloque educere jussit;
Ne recipi portis, aut duci in mœnia possit;
Neu populum antiqua sub relligione tueri.
Nam si vestra manus violasset dona Minervæ,
Tum magnum exitium (quod Dî prius omen in ipsum
Convertant) Priami imperio Phrygibusque futurum.
Sin manibus vestris vestram ascendisset in urbem;
Ultro Asiam magno Pelopeja ad mœnia bello
Venturam et nostros ea fata manere nepotes.
Talibus insidiis perjurique arte Sinonis
Credita res, captique dolis, lacrymisque coacti,
Quos neque Tydides, nec Larissæus Achiles,
Non anni domuere decem, non mille carinæ.
Hic aliud majus miseris multoque tremendum
Objicitur magis, atque improvida pectora turbat.
Laocoon, ductus Neptuno sorte sacerdos,
Sollemnes taurum ingentem mactabat ad aras.
Ecce autem gemini à Tenedo tranquilla per alta
(Horresco referens) immensis orbibus angues
Incumbunt pelago; pariterque ad litora tendunt:
Pectora quorum inter fluctus arrecta, jubæque
Sanguineæ exsuperant undas: pars cætera pontum
Pone legit, sinuantque immensa volumine terga.
Fit sonitus, spumante salo: jamque arva tenebant,
Ardentesque oculos suffecti sanguine et igni,
Sibila lambebant linguis vibrantibus ora.
Diffugimus visu exangues. Illi agmine certo

Laocoonta petunt: et primum parva duorum
Corpora natorum serpens amplexus uterque
Implicat, et miseros morsu depascitur artus.
Post ipsum, auxilio subeuntem, ac tela ferentem
Corripiunt, spirisque ligant ingentibus: et jam
Bis medium amplexi, bis collo squamea circum
Terga dati, superant capite et cervicibus altis.
Ille simul manibus tendit divellere nodos,
Perfusus sanie vitas atroque veneno:
Clamores simul horrendos ad sidera tollit;
Quales mugitus, fugit cum saucius aram
Taurus, et incertam excussit cervice securim.
At gemini lapsu delubra ad summa dracones
Effugiunt, sævæque petunt Tritonidis arcem;
Sub pedibusque deæ, clypeique sub orbe teguntur.
Tum vero tremefacta novus per pectora cunctis
Insinuat pavor: et scelus expendisse merentem
Laocoonta ferunt: sacrum qui cuspide robur
Læserit, et tergo sceleratam intorserit hastam.
Ducendum ad sedes simulacrum, orandaque divæ
Numina conclamant.
Dividimus muros, et mœnia pandimus urbis.
Accingunt omnes operi, pedibusque rotarum
Subjiciunt lapsus, et stupea vincula collo
Intendunt. Scandit fatalis machina muros
Fœta armis. Circum pueri, innuptæque puellæ
Sacra canunt, funemque manu contingere gaudent.
Illa subit, mediæque minans illabitur urbi.
O patria, ò divum domus Ilium, et inclyta bello
Mœnia Dardanidum! quater ipso in limine portæ
Substitit, atque utero sonitum quater arma dedere.
Instamus tamen immemores cæcique furore,
Et monstrum infelix sacrata sistimus arce.
Tunc etiam fatis aperit Cassandra futuris
Ora, dei jussu non unquam credita Teucris.
Nos delubra Deûm miseri, quibus ultimus esset
Ille dies, festa velamus fronde per urbem.

Vertitur interea cœlum, et ruit oceano nox,
Involvens umbra magna terramque, polumque,
Myrmidonumque dolos: fusi per mœnia Teucri
Conticuere: sopor fessos complectitur artus.
Et jam Argiva phalanx instructis navibus ibat
A Tenedo, tacitæ per amica silentia Lunæ,
Litora nota petens: flammas cum regia puppis
Extulerat: fatisque Deûm defensus iniquis,
Inclusos utero Danaos et pinea furtim
Laxat claustra Sinon: illos patefactus ad auras
Reddit equus, lætique cavo se robore promunt.
Tisandrus, Sthenelusque duces, et dirus Ulysses,
Demissum lapsi per funem, Athamasque, Thoasque,
Pelidesque Neoptolemus, primusque Machaon,
Et Menelaus, et ipse doli fabricator Epeus.
Invadunt urbem somno, vinoque sepultam:
Cæduntur vigiles, portisque patentibus omnes
Accipiunt socios, atque agmina conscia jungunt.
Tempus erat, quo prima quies mortalibus ægris
Incipit, et dono divûm gratissima serpit.
In somnis ecce ante oculos mœstissimus Hector
Visus adesse mihi, largosque effundere fletus;
Raptatus bigis, ut quondam, aterque cruento
Pulvere, perque pedes trajectus lora tumentes.
Hei mihi, qualis erat! quantum mutatus ab illo
Hectore, qui redit exuvias indutus Achillis,
Vel Danaûm Phrygios jaculatus puppibus ignes!
Squalentem barbam, et concretos sanguine crines,
Vulneraque illa gerens, quæ circum plurima muros
Accepit patrios. Ultro flens ipse videbar
Compellare virum, et mœstas expromere voces:
O lux Dardaniæ, spes ò fidissima Teucrûm,
Quæ tantæ tenuere moræ? quibus Hector ab oris
Expectate venis? ut te post multa tuorum
Funera, post varios hominumque urbisque labores
Defessi aspicimus! quæ causa indigna serenos
Fœdavit vultus? aut cur hæc vulnera cerno?

Ille nihil: nec me quærentem vana moratur:
Sed graviter gemitus imo de pectore ducens,
Heu fuge, nate dea, teque his, ait, eripe flammis.
Hostis habet muros: ruit alto à culmine Troja.
Sat patriæ Priamoque datum. Si Pergama dextra
Defendi possent, etiam hac defensa fuissent.
Sacra suosque tibi commendat Troja Penates:
Hos cape fatorum comites, his mœnia quære,
Magna pererrato statues quæ denique ponto.
Sic ait: et manibus vitas, Vestamque potentem,
Æternumque adytis effert penetralibus ignem.
Diverso interea miscentur mœnia luctu:
Et magis atque magis, (quamquam secreta parentis
Anchisæ domus arboribusque obtecta recessit)
Clarescunt sonitus, armorumque ingruit horror.
Excutior somno, et summi fastigia tecti
Ascensu supero, atque arrectis auribus asto:
In segetem veluti cum flamma furentibus Austris
Incidit, aut rapidus montano flumine torrens
Sternit agros, sternit sata læta, boumque labores,
Præcipitesque trahit silvas: stupet inscius alto
Accipiens sonitum saxi de vertice pastor.
Tum vero manifesta fides, Danaûmque patescunt
Insidiæ. Jam Deiphobi dedit ampla ruinam,
Vulcano superante domus: jam proximus ardet
Ucalegon: Sigea igni freta lata relucent.
Exoritur clamorque virûm, clangorque tubarum.
Arma amens capio; nec sat rationis in armis:
Sed glomerare manum bello, et concurrere in arcem
Cum sociis ardent animi. Furor iraque mentem
Præcipitant; pulchrumque mori succurrit in armis.
Ecce autem telis Panthus elapsus Achivûm,
Panthus Otriades, arcis Phœbique sacerdos,
Sacra manu, victosque deos, parvumque nepotem
Ipse trahit, cursuque amens ad litora tendit.
Quo res summa loco, Panthu? quam prendimus arcem?
Vix ea fatus eram, gemitu cum talia reddit:

Venit summa dies, et ineluctabile tempus
Dardaniæ. Fuimus Troes: fuit Ilium, et ingens
Gloria Teucrorum. Feros omnia Jupiter Argos
Transtulit: incensa Danai dominantur in urbe:
Arduus armatos mediis in mœnibus astans
Fundit equus, victorque Sinon incendia miscet
Insultans. Portis alii bipatentibus adsunt,
Millia quot magnis nunquam venere Mycenis.
Obsedere alii telis angusta viarum
Oppositi: stat ferri acies mucrone corusco
Stricta, parata neci: vix primi prælia tentant
Portarum vigiles, et cæco Marte resistunt.
Talibus Otriadæ dictis et numine divum
In flammas, et in arma feror: quo tristis Erynnis,
Quo fremitus vocat, et sublatus ad æthera clamor.
Addunt se socios et Ripheus, et maximus annis
Iphitus, oblati per Lunam Hypanisque, Dymasque:
Et lateri agglomerant nostro: juvenisque Chorœbus
Mydonides. Illis ad Trojam forte diebus
Venerat, insano Cassandræ incensus amore:
Et gener auxilium Priamo Phrygibusque ferebat.
Infelix, qui non sponsæ præcepta furentis
Audierat.
Quos ubi confertos audere in prælia vidi,
Incipio super his: juvenes, fortissima frustra
Pectora, si vobis audentem extrema cupido est
Certa sequi, quæ sit rebus fortuna, videtis:
Excessere omnes adytis arisque relictis
Dî, quibus imperium hoc steterat: sucurritis urbi
Incensæ: moriamur, et in media arma ruamus.
Una salus victis, nullam sperare salutem.
Sic animis juvenum furor additus. Inde lupi ceu
Raptores atra in nebula, quos improba ventris
Exegit cæcos rabies, catulique relicti
Faucibus exspectant siccis; per tela, per hostes
Vadimus haud dubiam in mortem: mediæque tenemus
Urbis iter. Nox atra cava circumvolat umbra.

Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicet, aut possit lacrymis æquare labores?
Urbs antiqua ruit, multos dominata per annos:
Plurima perque vias sternuntur inertia passim
Corpora, perque domos et religiosa deorum
Limina. Nec soli pœnas dant sanguine Teucri:
Quondam etiam victis redit in præcordia virtus;
Victoresque cadunt Danai. Crudelis ubique
Luctus, ubique pavor, et plurima mortis imago.
Primus se, Danaûm magna comitante caterva,
Androgeus offert nobis, socia agmina credens
Inscius; atque ultro verbis compellat amicis:
Festinate, viri; nam quæ tam sera moratur
Segnities? alii rapiunt incensa feruntque
Pergama: vos celsis nunc primum à navibus itis?
Dixit: et extemplo (neque enim responsa dabantur
Fida satis) sensit, medios delapsus in hostes:
Obstupuit, retroque pedem cum voce repressit.
Improvisum aspris veluti qui sentibus anguem
Pressit humi nitens, trepidusque repente refugit
Attollentem iras, et cærula colla tumentem.
Haud secus Androgeus visu tremefactus abibat.
Irruimus, densis et circumfundimur armis:
Ignarosque loci passim, et formidine captos
Sternimus. Aspirat primo fortuna labori.
Atque hic successu exultans, animisque Chorœbus,
O socii, qua prima, inquit, fortuna salutis
Monstrat iter, quaque ostendit se dextra, sequamur.
Mutemus clypeos, Danaûmque insignia nobis
Aptemus. Dolus, an virtus, quis in hoste requirat?
Arma dabunt ipsi. Sic fatus, deinde comantem
Androgei galeam, clypeique insigne decorum
Induitur, laterique Argivum accommodat ensem.
Hoc Ripheus, hoc ipse Dymas, omnisque juventus
Læta facit: spoliis se quisque recentibus armat.
Vadimus immisti Danais haud numine nostro,
Multaque per cœcam congressi prælia noctem

Conserimus: multos Danaûm demittimus Orco.
Diffugiunt alii ad naves, et litora cursu
Fida petunt: pars ingentem formidine turpi
Scandunt rursus equum, et nota conduntur in alvo.
Heu nihil invitis fas quemquam fidere divis!
Ecce trahebatur passis Priameja virgo
Crinibus à templo Casandra adytisque Minervæ,
Ad cœlum tendens ardentia lumina frustra:
Lumina: nam teneras arcebant vincula palmas.
Non tulit hanc speciem furiata mente Chorœbus,
Et sese medium injecit moriturus in agmen.
Consequimur cuncti, et densis incurrimus armis.
Hic primum ex alto delubri culmine telis
Nostrorum obruimur, oriturque miserrima cædes,
Armorum facie et Grajarum errore jubarum.
Tum Danai gemitu atque ereptæ virginis ira
Undique collecti invadunt; acerrimus Ajax,
Et gemini Atridæ, Dolopumque exercitus omnis.
Adversi rupto ceu quondam turbine venti
Confligunt Zephyrusque, Notusque, et lætus Eois
Eurus equis: stridunt silvæ, sævitque tridenti
Spumeus, atque imo Nereus ciet æquora fundo.
Illi etiam, si quos obscura nocte per umbram
Fudimus insidiis, totaque agitavimus urbe,
Apparent: primi clypeos mentitaque tela
Agnoscunt, atque ora sono discordia signant.
Ilicet obruimur numero. Primusque Chorœbus
Penelei dextra, divæ armipotentis ad aram
Procumbit: cadit et Ripheus, justissimus unus
Qui fuit in Teucris, et servantissimus æqui.
Dîs aliter visum. Pereunt Hypanisque Dymasque
Confixi à sociis; nec te tua plurima, Panthu,
Labentem pietas, nec Apollinis infula texit.
Illiaci cineres, et flamma extrema meorum,
Testor, in ocasu vestro, nec tela, nec ullas
Vitavisse vices Danaûm; et, si fata fuissent,
Ut caderem, meruisse manu. Divellimur inde:

Iphitus et Pelias mecum: quorum Iphitus ævo
Jam gravior, Pelias et vulnere tardus Ulyssei.
Protinus ad sedes Priami clamore vocati.
Hic vero ingentem pugnam, ceu cætera nusquam
Bella forent, nulli tota morerentur in urbe:
Sic Martem indomitum, Danaosque ad tecta ruentes
Cernimus, obsessumque acta testudine limen.
Hærent parietibus scalæ; postesque sub ipsos
Nituntur gradibus, clypeosque ad tela sinistris
Protecti objiciunt: prensant fastigia dextris.
Dardanidæ contra turres ac tecta domorum
Culmina convellunt: his se quando ultima cernunt,
Extrema jam in morte parant defendere telis:
Auratasque trabes, veterum decora alta parentum,
Devolvunt. Alii strictis mucronibus imas
Obsedere fores: has servant agmine denso.
Instaurati animi, regis sucurrere tectis,
Auxilioque levare viros, vimque addere victis.
Limen erat, cæcæque fores, et pervius usus
Tectorum inter se Priami, postesque relicti
A tergo: infelix qua se, dum regna manebant,
Sæpius Andromache ferre incomitata solebat
Ad soceros, et avo puerum Astyanacta trahebat.
Evado ad summi fastigia culminis: unde
Tela manu miseri jactabant irrita Teucri.
Turrem in præcipiti stantem, summisque sub astra
Eductam tectis, unde omnis Troja videri,
Et Danaûm solitæ naves, et Achaïa castra,
Aggressi ferro circum, qua summa labantes
Juncturas tabulata dabant, convellimus altis
Sedibus impulimusque. Ea lapsa repente ruinam
Cum sonitu trahit, et Danaûm super agmina late
Incidit. Ast alii subeunt: nec saxa, nec ullum
Telorum interea cessat genus.
Vestibulum ante ipsum primoque in limine Pyrrus
Exultat, telis et luce curuscus ahena.
Qualis ubi in lucem coluber mala gramina pastus,

Frigida sub terra tumidum quem bruma tegebat,
Nunc positis novus exuviis nitidusque juventa,
Lubrica convolvit sublato pectore terga
Arduus ad solem, et linguis micat ore trisulcis.
Una ingens Periphas, et equorum agitator Achillis,
Armiger Automedon; una omnis Scyria pubes
Succedunt tecto, et flammas ad culmina jactant.
Ipse inter primos correpta dura bipenni
Limina perrumpit, postesque à cardine vellit
Æratos: jamque excisa trabe firma cavavit
Robora, et ingentem lato dedit ore fenestram.
Apparet domus intus, et atria longa patescunt:
Apparent Priami et veterum penetralia regum:
Armatosque vident stantes in limine primo.
  At domus interior gemitu miseroque tumultu
Miscetur; penitusque cavæ plangoribus ædes
Femineis ululant. Ferit aurea sidera clamor.
Tum pavidæ tectis matres ingentibus errant,
Amplexæque tenent postes, atque oscula figunt.
Instat vi patria Pyrrus: nec claustra, neque ipsi
Custodes sufferre valent. Labat ariete crebro
Janua, et emoti procumbunt cardine postes.
Fit via vi: rumpunt aditus, primosque trucidant
Immisi Danai, et late loca milite complent.
Non sic aggeribus ruptis cum spumeus amnis
Exiit, oppositasque evicit gurgite moles,
Fertur in arva furens cumulo, camposque per omnes
Cum stabulis armenta trahit. Vidi ipse furentem
Cæde Neoptolemum, geminosque in limine Atridas:
Vidi Hecubam, centumque nurus, Priamumque per aras
Sanguine fœdantem, quos ipse sacraverat, ignes.
Quinquaginta illi thalami, spes tanta nepotum,
Barbarico postes auro spolliisque superbi
Procubuere. Tenent Danai, qua deficit ignis.
  Forsitan, et Priami fuerint quæ fata, requiras.
Urbis ubi captæ casum, convulsaque vidit
Limina tectorum, et medium in penetralibus hostem;

Arma diu senior desueta trementibus ævo
Circumdat nequidquam humeris, et inutile ferrum
Cingitur, ac densos fertur moriturus in hostes.
Ædibus in mediis, nudoque sub ætheris axe,
Ingens ara fuit; juxtaque veterrima laurus
Incumbens aræ, atque umbra complexa Penates.
Hic Hecuba et natæ nequidquam altaria circum,
Præcipites atra ceu tempestate columbæ,
Condensæ, et divum amplexæ simulacra tenebant.
Ipsum autem sumptis Priamum juvenilibus armis
Ut vidit: quæ mens tam dira, miserrime conjux,
Impulit his cingi telis? aut quo ruis? inquit.
Non tali auxilio, nec defensoribus istis
Tempus eget: non, si ipse meus nunc afforet Hector.
Huc tandem concede: hæc ara tuebitur omnes:
Aut moriere simul. Sic ore effata, recepit
Ad sese, et sacra longævum in sede locavit.
Ecce autem elapsus Pyrrhi de cæde Polites,
Unus natorum Priami, per tela, per hostes
Porticibus longis fugit, et vacua atria lustrat
Saucius: illum ardens infesto vulnere Pyrrhus
Insequitur, jam jamque manu tenet, et premit hasta.
Ut tandem ante oculos evasit et ora parentum
Concidit, ac multo vitam cum sanguine fudit.
Hic Priamus, quamquam in media jam morte tenetur,
Non tamen abstinuit, nec voci iræque pepercit.
At tibi pro scelere, exclamat, pro talibus ausis,
Dî (si qua est cœlo pietas, quæ talia curet)
Persolvant grates dignas, et præmia reddant
Debita: qui nati coram me cernere letum
Fecisti, et patrios fœdasti funere vultus.
At non ille, satum quo te mentiris, Achilles
Talis in hoste fuit Priamo: sed jura fidemque
Supplicis erubuit, corpusque exsangue sepulcro
Reddidit Hectoreum, meque in mea regna remisit.
Sic fatus senior, telumque imbelle sine ictu
Conjecit: rauco quod protinus ære repulsum,

Et summo clypei nequidquam umbone pependit.
Cui Pyrrhus: Referes ergo hæc, et nuntius ibis
Pelidæ genitori: illi mea tristia facta,
Degeneremque Neoptolemum narrare memento.
Nunc morere. Hæc dicens, altaria ad ipsa trementem
Traxit, et in multo lapsantem sanguine nati,
Implicuitque comam læva, dextraque coruscum
Extulit, ac lateri capulo tenus abdidit ensem.
Hæc finis Priami fatorum: hic exitus illum
Sorte tulit, Trojam incensam, et prolapsa videntem
Pergama; tot quondam populis terrisque superbum
Regnatorem Asiæ. Jacet ingens litore truncus:
Avulsumque humeris caput, et sine nomine corpus.
At me tum primum sævus circumstetit horror:
Obstupui, subiit chari genitoris imago,
Ut regem æquævum crudeli vulnere vidi
Vitam exhalantem: subiit deserta Creusa,
Et direpta domus, et parvi casus Iuli.
Respicio, et quæ sit me circum copia lustro.
Deseruere omnes defessi, et corpora saltu
Ad terram misere, aut ignibus ægra dedere.
Jamque adeo super unus eram, cum limina Vestæ
Servantem, et tacitam secreta in sede latentem
Tyndarida aspicio: dant clara incendia lucem
Erranti, passimque oculos per cuncta ferenti.
Illa sibi infestos eversa ob Pergama Teucros.
Et pœnas Danaûm, et deserti conjugis iras
Præmetuens Trojæ et patriæ communis Erynnis,
Abdiderat sese, atque aris invisa sedebat.
Exarsere ignes animo: subit ira cadentem
Ulcisci patriam, et sceleratas sumere pœnas.
Scilicet hæc Spartam incolumis patriasque mycenas
Aspiciet, partoque ibit regina triumpho?
Conjugiumque, domumque, patres, natosque videbit,
Iliadum turba et Phrygiis comitata ministris?
Occiderit ferro Priamus? Troja arserit igni?
Dardanium toties sudarit sanguine litus?

Non ita: namque etsi nullum memorabile nomen
Feminea in pœna est, nec habet victoria laudem;
Exstinxisse nefas tamen, et sumpsisse merentis
Laudabor pœnas: animumque explesse juvabit
Ultricis flammæ, et cineres satiasse meorum.
Talia jactabam, et furiata mente ferebar;
Cum mihi se, non ante oculis tam clara, videndam
Obtulit, et pura per noctem in luce refulsit
Alma parens, confessa deam; qualisque videri
Cœlicolis, et quanta solet: dextraque prehensum
Continuit, roseoque hæc insuper addidit ore:
Nate, quis indomitas tantus dolor excitat iras?
Quid furis? aut quonam nostri tibi cura recessit?
Non prius aspicies, ubi fessum ætate parentem
Liqueris Anchisen? superet conjuxne Creusa
Ascaniusque puer? quos omnes undique Grajæ
Circum errant acies: et, ni mea cura resistat,
Jam flammæ tulerint, inimicus et hauserit ensis.
Non tibi Tyndaridis facies invisa Lacænæ,
Culpatusve Paris; verum inclementia divum
Has evertit opes, sternitque à culmine Trojam.
Aspice: namque omnem, quæ nunc obducta tuenti
Mortales hebetat visus tibi, et humida circum
Caligat, nubem eripiam, tu ne qua parentis
Jussa time, neu præceptis parere recusa:
Hic, ubi disjectas moles, avulsaque saxis
Saxa vides, mistoque undantem pulvere fumum,
Neptunus muros, magnoque emota tridenti
Fundamenta quatit, totamque à sedibus urbem
Eruit. Hic Juno Scæas sævissima portas
Prima tenet, sociumque furens à navibus agmen
Ferro accincta vocat.
Jam summas arcis Tritonia, respice, Pallas
Insedit, nimbo effulgens, et Gorgone sæva.
Ipse Pater Danais animos viresque secundas
Sufficit: ipse Deos in Dardana suscitat arma.
Eripe, nate, fugam, finemque impone labori.

Nusquam abero, et tutum patrio te limine sistam.
Dixerat: et spissis noctis se condidit umbris.
Apparent diræ facies, inimicaque Trojæ
Numina magna deum.
  Tum vero omne mihi visum considere in ignes
Ilium, et ex imo verti Neptunia Troja:
Ac veluti summis antiquam in montibus ornum,
Cum ferro accissam crebrisque bipennibus instant
Eruere agricolæ certatim; illa usque minatur,
Et tremefacta comam concusso vertice nutat;
Vulneribus donec paulatim evicta, supremum
Congemuit, traxitque jugis avulsa ruinam.
Descendo, ac ducente Deo, flammam inter et hostes
Expedior: dant tela locum, flammæque recedunt.
  Ast ubi jam patriæ perventum ad limina sedis,
Antiquasque domus; genitor, quem tollere in altos
Optabam primum montes, primumque petebam,
Abnegat excisa vitam producere Troja,
Exiliumque pati. Vos ò, quibus integer ævi
Sanguis, ait, solidæque suo stant robore vires,
Vos agitate fugam.
Me si cœlicolæ voluissent ducere vitam,
Has mihi servassent sedes. Satis una superque
Vidimus excidia, et captæ superavimus urbi.
Sic ò, sic positum affati discedite corpus.
Ipse manu mortem inveniam: miserebitur hostis,
Exuviasque petet: facilis jactura sepulcri est.
Jampridem invisus divis, et inutilis annos
Demoror: ex quo me divum pater atque hominum rex
Fulminis aflavit ventis, et contigit igni.
Talia perstabat memorans, fixusque manebat.
Nos contra effusi lacrymis, conjuxque Creusa,
Ascaniusque, omnisque domus, ne vertere secum
Cuncta pater, fatoque urgenti incumbere vellet.
Abnegat, inceptoque et sedibus hæret iisdem.
Rursus in arma feror, mortemque misserrimus opto.
Nam quod consilium, aut quæ jam fortuna dabatur?

Mene efferre pedem, genitor, te posse relicto
Sperasti? tantumque nefas patrio excidit ore?
Si nihil ex tanta superis placet urbe relinqui,
Et sedet hoc animo, perituræque addere Trojæ
Teque tuosque juvat: patet isti janua leto,
Jamque aderit multo Priami de sanguine Pyrrhus,
Natum ante ora patris, patrem qui obtruncat ad aras.
Hoc erat, alma parens, quo me per tela, per ignes
Eripis, ut mediis hostem in penetralibus, utque
Ascanium, patremque meum, juxtaque Creusam,
Alterum in alterius mactatos sanguine cernam?
Arma, viri, ferte arma: vocat lux ultima victos.
Reddite me Danais: sinite instaurata revisam
Prælia: nunquam omnes hodie moriemur inulti.
Hic ferro accingor rursus, clypeoque sinistram
Insertabam aptans, meque extra tecta ferebam.
Ecce autem complexa pedes in limine conjux
Hærebat, parvumque patri tendebat Iulum:
Si periturus abis, et nos rape in omnia tecum;
Sin aliquam expertus sumptis spem ponis in armis,
Hanc primum tutare domum. Cui parvus Iulus,
Cui pater, et conjux quondam tua dicta relinquor?
Talia vociferans gemitu tectum omne replebat:
Cum subitum, dictuque oritur mirabile monstrum.
Namque manus inter, mœstorumque ora parentum,
Ecce levis summo de vertice visus Iuli
Fundere lumen apex, tactuque innoxia molli
Lambere flamma comas, et circum tempora pasci.
Nos pavidi trepidare metu, crinemque flagrantem
Excutere, et sanctos restinguere fontibus ignes.
At pater Anchises oculos ad sidera lætus
Extulit: et cœlo palmas cum voce tetendit:
Jupiter omnipotens, precibus si flecteris ullis,
Aspice nos; hoc tantum: et, si pietate meremur,
Da deinde auxilium, pater; atque hæc omina firma.
Vix ea fatus erat senior: subitoque fragore
Intonuit lævum, et de cœlo lapsa per umbras

Stella facem ducens multa cum luce cucurrit.
Illam, summa super labentem culmina tecti,
Cernimus Idæa claram se condere sylva,
Signantemque vias: tum longo limite sulcus
Dat lucem, et late circum loca sulphure fumant.
Hic vero victus genitor se tollit ad auras,
Affaturque deos, et sanctum sidus adorat.
Jam jam nulla mora est; sequor, et, qua ducitis, adsum.
Dî patrii, servate domum, servate nepotem:
Vestrum hoc augurium, vestroque in numine Troja est.
Cedo equidem, nec, nate, tibi comes ire recuso
Dixerat ille: et jam per mœnia clarior ignis
Auditur, propiusque æstus incendia volvunt.
Ergo age, chare pater, cervici imponere nostræ:
Ipse subibo humeris: nec me labor iste gravabit:
Quo res cumque cadent, unum et commune periclum,
Una salus ambobus erit: mihi parvus Iulus
Sit comes, et longe servet vestigia conjux.
Vos famuli, quæ dicam, animis advertite vestris,
Est urbe egressis tumulus templumque vetustum
Desertæ Cereris, juxtaque antiqua cupressus,
Religione patrum multos servata per annos.
Hanc ex diverso sedem veniemus in unam.
Tu, genitor, cape sacra manu, patriosque Penates.
Me, bello è tanto digresum, et cæde recenti,
Attrectare nefas; donec me flumine vivo
Abluero.
Hæc fatus, latos humeros, subjectaque colla
Veste super, fulvique insternor pelle leonis,
Succedoque oneri, dextræ se parvus Iulus
Implicuit, sequiturque patrem non passibus æquis:
Pone subit conjux, ferimur per opaca locorum.
Et me, quem dudum non ulla injecta movebant
Tela, neque adverso glomerati ex agmine Graii,
Nunc omnes terrent auræ, sonus excitat omnis
Suspensum, et pariter comitique onerique timentem.
Jamque propinquabam portis, omnemque videbar

Evasisse viam: subito cum creber ad aures
Visus adesse pedum sonitus: genitorque per umbram
Prospiciens, Nate, exclamat, fuge, nate; propinquant.
Ardentes clypeos, atque æra micantia cerno.
Hic mihi nescio quod trepido male numen amicum
Confusam eripuit mentem. Namque avia cursu
Dum sequor, et nota excedo regione viarum,
Heu! misero conjux fatone erepta Creusa.
Substitit, erravitne via, seu lassa resedit,
Incertum; nec post oculis est reddita nostris:
Nec prius amissam respexi, animumque reflexi,
Quam tumulum antiquæ Cereris, sedemque sacratam
Venimus. Hic demum collectis omnibus una
Defuit; et comites, natumque virumque fefellit.
Quem non incusavi amens hominumque deorumque?
Aut quid in eversa vidi crudelius urbe?
Ascanium, Anchisenque patrem, Teucrosque Penates
Commendo sociis, et curva valle recondo;
Ipse urbem repeto, et cingor fulgentibus armis.
Stat casus renovare omnes, omnemque reverti
Per Trojam; et rursus caput objectare periclis.
Principio muros, obscuraque limina portæ,
Qua gressum extuleram, repeto; et vestigia retro
Observata sequor per noctem, et lumine lustro.
Horror ubique animos, simul ipsa silentia terrent.
Inde domum, si forte pedem, si forte tulisset,
Me refero. Irruerant Danaï, et tectum omne tenebant.
Ilicet ignis edax summa ad fastigia vento
Volvitur: exsuperant flammæ: furit æstus ad auras.
Procedo ad Priami sedes arcemque reviso.
Et jam porticibus vacuis Junonis asylo,
Custodes lecti Phœnix, et dirus Ulisses
Prædam asservabant, huc undique Troïa gaza
Incensis erepta adytis, mensæque deorum,
Crateresque auro solidi, captivaque vestis
Congeritur. Pueri, et pavidæ longo ordine matres
Stant circum.

Ausus quin etiam voces jactare per umbram,
Implevi clamore vias, mœstusque Creusam
Nequidquam ingeminans, iterumque iterumque vocavi.
Quærenti, et tectis urbis sine fine furenti,
Infelix simulacrum, atque ipsius umbra Creusæ
Visa mihi ante oculos, et nota major imago.
Obstupui, steteruntque comæ, et vox faucibus hæsit.
Tum sic affari, et curas his demere dictis:
Quid tantum insano juvat indulgere dolori,
O dulcis conjux? non hæc sine numine divum
Eveniunt. Nec te hinc comitem asportare Creusam
Fas: haud ille sinet superi regnator Olympi.
Longa tibi exilia, et vastum maris æquor arandum.
Ad terram Hesperiam venies: ubi Lydius, arva
Inter opima virum, leni fluit agmine Thybris.
Illic res lætæ, regnumque, et regia conjux
Parta tibi: lacrymas dilectæ pelle Creusæ.
Non ego Myrmidonum sedes, Dolopumve superbas
Aspiciam, aut Graiis servitum matribus ibo,
Dardanis, et divæ Veneris nurus:
Sed me magna deûm genitrix his detinet oris.
Jamque vale, et nati serva communis amorem.
Hæc ubi dicta dedit, lacrymantem et multa volentem
Dicere, deseruit, tenuesque recessit in auras.
Ter conatus ibi collo dare brachia circum;
Ter frustra comprehensa manus effugit imago,
Par levibus ventis, volucrique simillima somno.
Sic demum socios, consumpta nocte, reviso.
Atque hic ingentem comitum affluxisse novorum
Invenio admirans numerum, matresque, virosque,
Collectam exilio pubem, miserabile vulgus.
Undique convenere, animis opibusque parati;
In quascunque velim pelago deducere terras.
Jamque jugis summæ surgebat Lucifer Idæ,
Ducebatque diem: Danaique obsessa tenebant
Limina portarum; nec spes opis ulla dabatur.
Cessi, et sublato montem genitore petivi.

EX Q. HORATII FLACCI

CARMINIBUS.

ODE I.

Sic te diva potens Cypri,
  Sic fratres Helenæ, lucida sidera,
Ventorumque regat Pater,
  Obstrictis aliis, præter Iapyga;
Navis, quæ tibi creditum
  Debes Virgilium, finibus Atticis
Reddas incolumen, precor,
  Et serves animæ dimidium meæ.
Illi robur et æs triplex
  Circa pectus erat, qui fragilem truci
Commissit pelago ratem
  Primus, nec timuit præcipitem Africum
Decertantem Aquilonibus,
  Nec tristes Hyadas, nec rabiem Noti,
Quo non arbiter Adriæ
  Major, tollere seu ponere vult freta.
Quem mortis timuit gradum,
  Qui siccis oculis monstra natantia,
Qui vidit mare turgidum, et
  Infames scopulos Acroceraunia?
Nequicquam Deus abscidit
  Prudens Oceano dissociabili
Terras, si tamen impiæ
  Non tangenda rates transiliunt vada.
Audax omnia perpeti
  Gens humana ruit per vetitum nefas.

Audax Iapeti genus
  Ignem fraude mala gentibus intulit.
Post ignem ætheria domo
  Subductum, macies et nova febrium
Terris incubuit cohors:
  Semotique prius tarda necessitas
Leti corripuit gradum.
  Expertus vacuum Dædalus aëra
Pennis non homini datis.
  Perrupit Acheronta Herculeus labor.
Nil mortalibus arduum est:
  Cœlum ipsum petimus stultitia; neque
Per nostrum patimur scelus
  Iracunda Jovem ponere fulmina.

ODE II.

Lydia dic, per omnes
  Te Deos oro, Sybarim cur properes amando
Perdere? cur apricum
  Oderit campum, patiens pulveris atque Solis?
Cur neque militaris
  Inter æquales equitat; Gallica nec lupatis
Temperet ora frenis?
  Cur timet flavum Tiberim tangere? cur olivum
Sanguine viperino
  Cautius vitat? neque jam livida gestat armis
Brachia, sæpe disco,
  Sæpe trans finem jaculo nobilis expedito?
Quid latet, ut marinæ
  Filium dicunt Thetidis sub lacrymosa Trojæ
Funera, ne virilis
  Cultus in cædem et Lycias proriperet catervas?

ODE III.

Quis desiderio sit pudor aut modus
Tam chari capitis? præcipe lugubres
Cantus, Melpomene, cui liquidam pater
        Vocem cum cithara dedit.
Ergo Quintilium perpetuus sopor
Urget? cui Pudor, et Justitiæ soror
Incorrupta Fides, nudaque Veritas,
        Quando ullum invenient parem?
Multis ille bonis flebilis occidit:
Nulli flebilior, quam tibi, Virgilii:
Tu frustra prius, heu, non ita creditum,
        Poscis Quintilium Deos.
Quod si Threïcio blandius Orpheo
Auditam moderere arboribus fidem,
Non vanæ redeat sanguis imagini,
        Quam virga semel horrida.
Non lenis præcibus fata recludere,
Nigro compulerit Mercurius gregi.
Durum! sed levius fit patientia,
        Quidquid corrigere est nefas.

ODE IV.

Septimi, Gades aditure mecum, et
Cantabrum indoctum juga ferre nostra, et
Barbaras Syrtes, ubi Maura semper
        Æstuat unda:
Tibur, Argeo positum colono,
Sit meæ sedes utinam senectæ;
Sit modus lasso maris et viarum
        Militiæque.
Unde si Parcæ prohibent iniquæ,
Dulce pellitis ovibus Galesi
Flumen, et regnata petam Laconi

Rura Phalanto.
Ille terrarum mihi præter omnes
Angulus ridet; ubi non Hymetto
Mella decedunt, viridique certat
Bacca Venafro:
Ver ubi longum tepidasque præbet
Jupiter brumas; et amicus Aulon
Fertili Baccho minimum Falernis
Invidet uvis.
Ille te mecum locus, et beatæ
Postulant arces: ibi tu calentem
Debita sparges lacryma favillam
Vatis amici.

ODE V.

Eheu fugaces, Postume, Postume,
Labuntur anni: nec pietas moram
Rugis et instanti senectæ
Afferet, indomitæque morti.
Non, si trecenis, quotquot eunt dies,
Amice, places illacrymabilem
Plutona tauris; qui ter amplum
Geryonem, Tityonque tristi
Compescit unda, scilicet omnibus,
Quicunque terræ munere vescimur,
Enaviganda, sive Reges,
Sive inopes erimus coloni.
Frustra cruento Marte carebimus,
Fractisque rauci fluctibus Adriæ;
Frustra per autumnos nocentem
Corporibus metuemus Austrum:
Visendus ater flumine languido
Cocytus errans, et Danai genus
Infame, damnatusque longi
Sisyphus Æolides laboris.
Linquenda tellus, et domus, et placens

Uxor : neque harum , quas colis , arborum
Te , præter invisas cupressos,
Ulla brevem dominum sequetur.
Absumet hæres Cæcuba dignior
Servata centum clavibus ; et mero
Tinget pavimentum superbum
Pontificum potiore cœnis.

ODE VI.

Otium divos rogat in patenti
Prensus Ægæo , simul atra nubes
Condidit Lunam , neque certa fulgent
Sidera nautis :
Otium bello furiosa Thrace,
Otium Medi pharetra decori,
Grosphe , non gemmis , neque purpura venale , neque auro.
Non enim gazæ , neque Consularis
Summovet lictor miseros tumultus
Mentis , et curas laqueata circum
Tecta volantes.
Vivitur parvo bene , cui paternum
Splendet in mensa tenui salinum:
Nec leves somnos timor aut Cupido
Sordidus aufert.
Quid brevi fortes jaculamur ævo
Multa ? quid terras alio calentes
Sole mutamus ? patriæ quis exul
Se quoque fugit ?
Scandit æratas vitiosa naves
Cura : nec turmas equitum relinquit,
Ocyor cervis , et agente nimbos
Ocyor Euro.
Lætus in præsens animus , quod ultra est
Oderit curare , et amara lento
Temperet risu. Nihil est ab omni
Parte beatum.

Abstulit clarum cita mors Achillem.
Longa Tithonum minuit senectus:
Et mihi forsan, tibi quod negarit,
Porriget hora.
Te greges centum Siculæque circum
Mugiunt vaccæ; tibi tollit hinnitum
Apta quadrigis equa; te bis Afro
Murice tinctæ.
Vestiunt lanæ: mihi parva rura, et
Spiritum Graïæ tenuem Camœnæ
Parca non mendax dedit, et malignum
Spernere vulgus.

ODE VII.

Bacchum in remotis carmina rupibus
Vidi docentem (credite posteri!)
Nymphasque discentes, et aures
Capripedum Satyrorum acutas.
Evoe, recenti mens trepidat metu,
Plenoque Bacchi pectore turbidum
Lætatur! Evoe! parce, Liber!
Parce, gravi metuende thyrso!
Fas pervicaces est mihi Thyadas,
Vinique fontem, lactis et uberes
Cantare rivos, atque truncis
Lapsa cavis iterare mella.
Fas et beatæ conjugis additum
Stellis honorem, tectaque Penthei
Disjecta non levi ruina,
Tracis et exitium Lycurgi.
Tu flectis amnes, tu mare Barbarum:
Tu separatis uvidus in jugis
Nodo coërces viperino
Bistonidum sine fraude crines:
Tu, cum parentis regna per arduum
Cohors Gigantum scanderet impia,

Rhœtum retorsisti leonis
Unguibus, horribilique mala:
Quamquam choreis aptior, et jocis
Ludoque dictus, non sat idoneus
Pugnæ ferebaris; sed idem
Pacis eras mediusque belli.
Te vidit insons Cerberus aureo
Cornu decorum, leniter atterens
Caudam, et recedentis trilingui
Ore pedes tetigitque crura.

ODE VIII.

Odi profanum vulgus et arceo:
Favete linguis: carmina non prius
Audita Musarum sacerdos
Virginibus puerisque canto.
Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipsos imperium est Jovis,
Clari Giganteo triumpho,
Cuncta supercilio moventis.
Est ut viro vir latius ordinet
Arbusta sulcis; hic generosior
Descendat in campum petitor;
Moribus hic meliorque fama
Contendat; illi turba clientium
Sit major; æqua lege necessitas
Sortitur insignes et imos;
Omne capax movet urna nomen.
Destrictus ensis cui super impia
Cervice pendet, non Siculæ dapes
Dulcem elaborabunt saporem,
Non avium citharæque cantus
Somnum reducent. Somnus agrestium
Lenis virorum non humiles domos
Fastidit, umbrosamque ripam,
Non Zephyris agitata Tempe.

Desiderantem quod satis est, neque
Tumultuosum sollicitat mare,
Nec sævus Arcturi cadentis
Impetus, aut orientis Hædi:
Non verberatæ grandine vineæ,
Fundusque mendax, arbore nunc aquas
Culpante, nunc torrentia agros
Sidera, nunc hiemes iniquas.
Contracta pisces æquora sentiunt,
Jactis in altum molibus: huc frequens
Cæmenta demittit redemptor
Cum famulis, dominusque terræ
Fastidiosus: sed timor et minæ
Scandunt eodem, quo dominus: neque
Decedit ærata triremi, et
Post equitem sedet atra cura.
Quod si dolentem nec Phrygius lapis,
Nec purpurarum sidere clarior
Delenit usus, nec Falerna
Vitis, Achæmeniumque costum;
Cur invidendis postibus et novo
Sublime ritu moliar atrium?
Cur valle permutem Sabina
Divitias operosiores?

ODE IX.

Justum, et tenacem propositi virum
Non civium ardor prava jubentium,
Non vultus instantis Tyranni
Mente quatit solida, neque Auster,
Dux inquieti turbidus Adriæ,
Nec fulminantis magna manus Jovis:
Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinæ.
Hac arte Pollux et vagus Hercules
Ennixus, arces attigit igneas:

Quos inter Augustus recumbens
Purpureo bibit ore nectar.
Hac te merentem, Bacche pater, tuæ
Vexere tigres, indocili jugum
Collo trahentes. Hac Quirinus
Martis equis Acheronta fugit;
Gratum elocuta consiliantibus
Junone Divis: Ilion, Ilion
Fatalis incestusque judex,
Et mulier peregrina vertit
In pulverem, ex quo destituit Deos
Mercede pacta Laomedon, mihi
Castæque damnatum Minervæ
Cum populo et duce fraudulento.
Jam nec Lacænæ splendet adulteræ
Famosus hospes, nec Priami domus
Perjura pugnaces Achivos
Hectoreis opibus refringit:
Nostrisque ductum seditionibus
Bellum resedit. Protinus et graves
Iras, et invisum nepotem,
Troïa quem peperit sacerdos,
Marti redonabo. Illum ego lucidas
Inire sedes, ducere nectaris
Succos, et adscribi quietis
Ordinibus patiar Deorum.
Dum longus inter sæviat Ilion
Romamque pontus; qualibet exules
In parte regnanto beati:
Dum Priami Paridisque busto
Insultet armentum, et catulos feræ
Celent inultæ; stet Capitolium
Fulgens, triumphatisque possit
Roma ferox dare jura Medis.
Horrenda late nomen in ultimas
Extendat oras, qua medius liquor
Secernit Europen ab Afro,

Qua tumidus rigat arva Nilus,
Aurum irrepertum, et sic melius situm,
Cum terra celat, spernere fortior,
Quam cogere, humanos in usus
Omne sacrum rapiente dextra.
Quicumque mundo terminus obstitit,
Hunc tangat armis, visere gestiens,
Qua parte debacchentur ignes,
Qua nebulæ pluviique rores.
Sed bellicosis fata Quiritibus
Hac lege dico, ne nimium pii,
Rebusque fidentes, avitæ
Tecta velint reparare Trojæ.
Trojæ renascens alite lugubri
Fortuna, tristi clade iterabitur,
Ducente victrices catervas
Conjuge me Jovis et sorore.
Ter si resurgat murus aheneus,
Auctore Phœbo: ter pereat meis
Excisus Argivis; ter uxor
Capta virum puerosque ploret.
Non hæc jocosæ conveniunt lyræ:
Quo, Musa, tendis? desine pervicax
Referre sermones Deorum, et
Magna modis tenuare parvis.

ODE X.

Descende Cœlo, et dic, age, tibia
Regina longum Calliope melos,
Seu voce nunc mavis acuta,
Seu fidibus, citharave Phœbi.
Auditis? aut me me ludit amabilis
Insania? audire et videor pios
Errare per lucos, amœnæ
Quos et aquæ subeunt et auræ.
Me fabulosæ Vulture in Appulo,

Altricis extra limen Apuliæ,
Ludo fatigatumque somno
Fronde nova puerum palumbes
Texere: mirum quod foret omnibus,
Quicumque celsæ nidum Acherontiæ,
Saltusque Bantinos, et arvum
Pingue tenent humilis Forenti;
Ut tuto ab atris corpore viperis
Dormirem et ursis; ut premerer sacra
Lauroque collataque myrto,
Non sine Diis animosus infans.
Vester, Camœnæ, vester in arduos
Tollor Sabinos: seu mihi frigidum
Præneste, seu Tibur supinum,
Seu liquidæ placuere Baïæ.
Vestris amicum fontibus et choris,
Non me Philippis versa acies retro,
Devota non extinxit arbor,
Nec Sicula Palinurus unda.
Utcumque mecum vos eritis, libens
Insanientem navita Bosphorum
Tentabo, et arentes arenas
Littoris Assyrii viator.
Visam Britanos, hospitibus feros,
Et lætum equino sanguine Concanum;
Visam pharetratos Gelonos,
Et Scythicum inviolatus amnem.
Vos Cæsarem altum, militia simul
Fessas cohortes abdidit oppidis,
Finire quærentem labores,
Pierio recreatis antro.
Vos lene consilium et datis, et dato
Gaudetis, almæ. Scimus, ut impios
Titanas, immanemque turmam
Fulmine sustulerit caduco,
Qui terram inertem, qui mare temperat
Ventosum, et urbes, regnaque tristia,

Divosque mortalesque turbas
Imperio regit unus æquo.
Magnum illa terrorem intulerat Jovi
Fidens, juventus horrida, brachiis,
Fratresque tendentes opaco
Pelion imposuisse Olympo.
Sed quid Typhœus et validus Mimas,
Aut quid minaci Porphyrion statu,
Quid Rhœtus, evulsisque truncis
Enceladus jaculator audax,
Contra sonantem Palladis Ægida
Possent ruentes? Hinc avidus stetit
Vulcanus, hinc matrona Juno, et
Nunquam humeris positurus arcum,
Qui rore puro Castaliæ lavit
Crines solutos, qui Lyciæ tenet
Dumeta natalemque sylvam,
Delius et Patareus Apollo.
Vis consilî expers mole ruit sua:
Vim temperatam Dî quoque provehunt
In majus: îdem odere vires
Omne nefas animo moventes.
Testis mearum centimanus Gyges
Sententiarum notus et integræ
Tentator Orion Dianæ,
Virginea domitus sagitta.
Injecta monstris Terra dolet suis,
Mœretque partus fulmine luridum
Missos ad Orcum: nec peredit
Impositam celer ignis Ætnen:
Incontinentis nec Tityi jecur
Relinquit ales, nequitiæ additus
Custos: amatorem trecentæ
Pirithoum cohibent catenæ.

ODE XI.

Cœlo tonantem credidimus Jovem
Regnare: præsens Divus habebitur
Augustus, adjectis Britannis
Imperio, gravibusque Persis.
Milesne Crassi conjuge Barbara
Turpis maritus vixit? et hostium
(Proh Curia, inversique mores!)
Consenuit socerorum in arvis,
Sub rege Medo, Marsus et Appulus,
Anciliorum et nominis et togæ
Oblitus, æternæque Vestæ,
Incolumi Jove, et urbe Roma?
Hoc caverat mens provida Reguli,
Dissentientis conditionibus
Fœdis, et exemplo trahenti
Perniciem veniens in ævum,
Si non periret immiserabilis
Captiva pubes. Signa ego Punicis
Affixa delubris, et arma
Militibus sine cæde, dixit,
Direpta vidi: vidi ego civium
Retorta tergo brachia libero,
Portasque non clausas, et arva
Marte coli populata nostro.
Auro repensus scilicet acrior
Miles redibit. Flagitio additis
Damnum. Neque amissos colores
Lana refert medicata fuco,
Nec vera virtus, cum semel excidit,
Curat reponi deterioribus.
Si pugnat extricata densis
Cerva plagis: erit ille fortis,
Qui perfidis se credidit hostibus;
Et Marte Pœnos proteret altero,

Qui lora restrictis lacertis
Sensit iners, timuitque mortem.
Hic, unde vitam sumeret, inscius,
Pacem duello miscuit. O pudor!
O magna Carthago, probrosis
Altior Italiæ ruinis!
Fertur pudicæ conjugis osculum,
Parvosque natos, ut capitis minor,
Ab se removisse, et virilem
Torvus humi posuisse vultum:
Donec labantes consilio Patres
Firmaret auctor nunquam alias dato,
Interque mœrentes amicos
Egregius properaret exul.
Atqui sciebat, quæ sibi barbarus
Tortor pararet: non aliter tamen
Dimovit obstantes propinquos,
Et populum reditus morantem,
Quam si clientium longa negotia
Dijudicata lite relinqueret,
Tendens Venafranos in agros,
Aut Lacedæmonium Tarentum.

ODE XII.

Mercuri (nam te docilis magistro
Movit Amphion lapides canendo)
Tuque testudo, resonare septem
Callida nervis,
Nec loquax olim, neque grata, nunc et
Divitum mensis et amica templis:
Dic modos, Lyde quibus obstinatas
Applicet aures;
Tu potes tigres, comitesque sylvas
Ducere, et rivos celeres morari.
Cessit immanis tibi blandienti
Janitor aulæ,

Cerberus; quamvis furiale centum
Muniant angues caput ejus, atque
Spiritus teter saniesque manet
    Ore trilingui.
Quin et Ixion Tityosque vultu
Risit invito: stetit urna paulum
Sicca, dum grato Danaï puellas
    Carmine mulces.
Audiat Lyde scelus atque notas
Virginum pœnas, et inane lymphæ
Dolium fundo pereuntis imo,
    Seraque fata,
Quæ manent culpas etiam sub Orco.
Impiæ, (nam quid potuere majus?)
Impiæ sponsos potuere duro
    Perdere ferro.
Una de multis, face nuptiali
Digna, perjurum fuit in parentem
Splendide mendax, et in omne virgo
    Nobilis ævum.
Surge, quæ dixi juveni marito,
Surge, ne longus tibi somnus, unde
Non times, detur: socerum et scelestas
    Falle sorores;
Quæ, velut nactæ vitulos leænæ,
Singulos, eheu! lacerant: ego illis
Mollior, nec te feriam, neque intra
    Claustra tenebo.
Me pater sævis oneret catenis,
Quod viro clemens misero peperci:
Me vel extremos Numidarum in agros
    Classe releget.
I, pedes quo te rapiunt, et auræ,
Dum favet nox et Venus: i secundo
Omine: et nostri memorem sepulcro
    Sculpe querelam.

ODE XIII.

O Fons Bandusiæ, splendidior vitro,
Dulci digne mero, non sine floribus:
    Cras donaberis hædo,
        Cui frons turgida cornibus
Primis, et Venerem et prælia destinat:
Frustra: nam gelidos inficiet tibi
    Rubro sanguine rivos,
        Lascivi soboles gregis.
Te flagrantis atrox hora Caniculæ
Nescit tangere: tu frigus amabile
    Fessis vomere tauris
        Præbes, et pecori vago.
Fies nobilium tu quoque fontium,
Me dicente cavis impositam ilicem
    Saxis, unde loquaces
        Lymphæ desiliunt tuæ.

ODE XIV.

Quem tu, Melpomene, semel
    Nascentem placido lumine videris,
Illum non labor Isthmius
    Clarabit pugilem, non equus impiger
Curru ducet Achaïco
    Victorem, neque res bellica Deliis
Ornatum foliis ducem,
    Quod regum tumidas contuderit minas,
Ostendet Capitolio:
    Sed quæ Tibur aquæ fertile præfluunt,
Et spissæ nemorum comæ,
    Fingent Æolio carmine nobilem.
Romæ principis urbium
    Dignatur soboles inter amabiles
Vatum ponere me choros:

Et jam dente minus mordeor invido.
O, testudinis aureæ
Dulcem quæ strepitum, Pieri, temperas:
O, mutis quoque piscibus
Donatura cycni, si libeat, sonum!
Totum muneris hoc tui est,
Quod monstror digito prætereuntium
Romanæ fidicen lyræ:
Quod spiro et placeo (si placeo) tuum est.

ODE XV.

Qualem ministrum fulminis alitem
(Cui rex Deorum regnum in aves vagas
Permisit, expertus fidelem
Jupiter in Ganymede flavo)
Olim juventus et patrius vigor
Nido laborum propulit inscium;
Vernique, jam nimbis remotis,
Insolitos docuere nisus
Venti paventem; mox in ovilia
Demisit hostem vividus impetus;
Nunc in reluctantes dracones
Egit amor dapis atque pugnæ;
Qualemve lætis caprea pascuis
Intenta, fulvæ matris ab ubere
Jam lacte depulsum leonem,
Dente novo peritura, vidit:
Videre Rhœti bella sub Alpibus
Drusum gerentem et Vindelici; quibus
Mos unde deductus per omne
Tempus Amazonia securi
Dextras obarmet, quærere distuli:
(Nec scire fas est omnia) sed diu
Lateque victrices catervæ,
Consiliis juvenis revictæ,
Sensere, quid mens rite, quid indoles,

Nutrita faustis sub penetralibus,
Posset, quid Augusti paternus
In pueros animus Nerones.
Fortes creantur fortibus et bonis:
Est in juvencis, est in equis, patrum
Virtus: neque imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.
Doctrina sed vim promovet insitam,
Rectique cultus pectora roborant:
Utcunque defecere mores,
Dedecorant bene nata culpæ.
Quid debeas, ò Roma, Neronibus,
Testis Metaurum flumen, et Asdrubal
Devictus, et pulcher fugatis
Ille dies Latio tenebris,
Qui primus alma risit adorea,
Dirus per urbes Afer ut Italas,
Ceu flamma per tædas, vel Eurus
Per Siculas equitavit undas.
Post hoc secundis usque laboribus
Romana pubes crevit, et impio
Vastata Pœnorum tumultu
Fana Deos habuere rectos:
Dixitque tandem perfidus Hannibal:
Cervi, luporum præda rapacium,
Sectamur ultro, quos opimus
Fallere et efugere est triumphus.
Gens, quæ cremato fortis ab Ilio,
Jactata Tuscis æquoribus sacra,
Natosque maturosque patres,
Pertulit Ausonias ad urbes,
Duris ut Ilex tonsa bipennibus
Nigræ feraci frondis in Algido,
Per damna, per cædes, ab ipso
Ducit opes animumque ferro.
Non hydra secto corpore firmior
Vinci dolentem crevit in Herculem;

Monstrumve summisere Colchi
Majus, Echioniæve Thebæ.
Merses profundo, pulchrior evenit:
Luctere, multa proruet integrum
Cum laude victorem, geretque
Prælia conjugibus loquenda.
Carthagini jam non ego nuncios
Mittam superbos: occidit, occidit
Spes omnis et fortuna nostri
Nominis, Asdrubale interempto.
Nil Claudiæ non perficient manus:
Quas et benigno numine Jupiter
Defendit, et curæ sagaces
Expediunt per acuta belli.

ODE XVI.

Quæ cura patrum, quæve Quiritium,
Plenis honorum muneribus tuas,
Auguste, virtutes in ævum
Per titulos memoresque fastos
Æternet? O, qua Sol habitabiles
Illustrat oras, maxime Principum:
Quem legis expertes Latinæ
Vindelici didicere nuper,
Quid marte posses. Milite nam tuo
Drusus Genaunos, implacidum genus,
Brennosque veloces, et arces
Alpibus impositas tremendis,
Dejecit acer. Plus vice simplici
Major Neronum mox grave prælium
Commisit, immanesque Rhetos
Auspiciis pepulit secundis;
Spectandus, in certamine Martio,
Devota morti pectora liberæ
Quantis fatigaret ruinis:
Indomitas prope qualis undas

Exercet Auster, Pleïadum choro
Scindinte nubes: impiger hostium
Vexare turmas, et frementem
Mittere equum medios per ignes.
Sic tauriformis volvitur Aufidus,
Qui regna Dauni præfluit Appuli,
Cum sævit, horrendamque cultis
Diluviem meditatur agris:
Ut Barbarorum Claudius agmina
Ferrata vasto diruit impetu,
Primosque et extremos metendo
Strevit humum, sine clade victor.
Te copias, te consilium et tuos
Præbente Divos. Nam, tibi quo die
Portus Alexandria supplex
Et vacuam patefecit aulam,
Fortuna lustro prospera tertio
Belli secundos reddidit exitus,
Laudemque et optatum peractis
Imperiis decus arrogavit.
Te Cantaber non ante domabilis,
Medusque, et Indus, te profugus Scythes
Miratur, ò tutela præsens
Italiæ dominæque Romæ:
Te fontium qui celat origines,
Nilusque, et Ister, te rapidus Tigris,
Te, belluosus qui remotis
Obstrepit Oceanus Britannis:
Te, non paventis funera Galliæ
Duræque tellus audit Iberiæ:
Te cæde gaudentes Sygambri
Compositis venerantur armis.

ODE XVII.

Beatus ille, qui procul negotiis,
(Ut prisca gens mortalium)

Paterna rura bubus exercet suis,
  Solutus omni fœnore.
Neque excitatur classico miles truci,
  Neque horret iratum mare;
Forumque vitat et superba civium
  Potentiorum limina.
Ergo aut adulta vitium propagine
  Altas maritat populos,
Inutilesque falce ramos amputans,
  Feliciores insertit;
Aut in reducta valle mugientium
  Prospectat errantes greges;
Aut pressa puris mella condit amphoris;
  Aut tondet infirmas oves;
Vel, cum decorum mitibus pomis caput
  Autumnus arvis extulit,
Ut gaudet insitiva decerpens pyra,
  Certantem et uvam purpuræ,
Qua muneretur te, Priape, et te, pater
  Silvane, tutor finium!
Libet jacere modo sub antiqua ilice,
  Modo in tenaci gramine.
Labuntur altis interim ripis aquæ;
  Queruntur in sylvis aves;
Fontesque lymphis obstrepunt manantibus,
  Somnos quod invitet leves.
At cum tonantis annus hibernus Jovis
  Imbres nivesque comparat,
Aut trudit acres hinc et hinc multa cane
  Apros in obstantes plagas;
Aut amite levi rara tendit retia,
  Turdis edacibus dolos;
Pavidumque leporem, et advenam laqueo gruem,
  Jucunda captat præmia.
Quis non malarum, quas amor curas habet,
  Hæc inter obliviscitur?
Quod si pudica mulier in partem juvet

Domum atque dulces liberos,
(Sabina qualis, aut perusta Solibus
Pernicis uxor Appuli)
Sacrum vetustis extruat lignis focum
Lassi sub adventum viri:
Claudensque textis cratibus lætum pecus,
Distenta siccet ubera;
Et horna dulci vina promens dolio,
Dapes inemptas apparet:
Non me Lucrina juverint conchylia,
Magisve rhombus, aut scari,
Si quos Eois intonata fluctibus
Hiems ad hoc vertat mare:
Non Afra avis descendat in ventrem meum,
Non attagen Ionicus,
Jucundior, quam lecta de pinguissimis
Oliva ramis arborum,
Aut herba lapathi prata amantis, et gravi
Malvæ salubres corpori,
Vel agna festis cæsa Terminalibus,
Vel hædus ereptus lupo.
Has inter epulas, ut juvat pastas oves
Videre properantes domum!
Videre fessos vomerem inversum boves
Collo trahentes languido!
Positosque vernas, ditis examen domus,
Circum renidentes Lares!
Hæc ubi locutus fœnerator Alphius,
Jam jam futurus rusticus,
Omnem redegit Idibus pecuniam;
Quærit Kalendis ponere.

ODE XVIII.

Altera jam teritur bellis civilibus ætas,
Suis et ipsa Roma viribus ruit:
Quam neque finitimi valuerunt perdere Marsi,

Minacis aut Etrusca Porsenæ manus,
Æmula nec virtus Capuæ, nec Spartacus acer,
Novisque rebus infidelis Allobrox;
Nec fera cærulea domuit Germania pube,
Parentibusque abominatus Hannibal:
Impia perdemus devoti sanguinis ætas;
Ferisque rursus occupabitur solum.
Barbarus, heu! cineres insistet victor, et Urbem
Eques sonante verberabit ungula;
Quæque carent ventis et Solibus ossa Quirini
(Nefas videre) dissipabit insolens.
Forte, quid expediat, communiter, aut melior pars,
Malis carere quæritis laboribus.
Nulla sit hac potior sententia: Phocæorum
Velut profugit execrata civitas,
Agros atque Lares patrios, habitandaque fana
Apris reliquit, et rapacibus lupis;
Ire pedes quocunque ferent, quocunque per undas
Notus vocabit, aut protervus Africus.
Sic placet? an melius quis habet suadere? Secunda
Ratem occupare quid moramur alite?
Sed juremus in hæc: simul imis saxa renarint
Vadis levata, ne redire sit nefas,
Neu conversa domum pigeat dare lintea, quando
Padus Matina laverit cacumina,
In mare seu celsus procurrerit Apenninus,
Novaque monstra junxerit libidine
Mirus amor: juvet ut tigres subsidere cervis,
Adulteretur et columba milvio;
Credula nec fulvos timeant armenta leones;
Ametque salsa lævis hircus æquora.
Hæc, et quæ poterunt reditus abscindere dulces,
Eamus omnis execrata civitas,
Aut pars indocili melior grege; mollis et exspes
Inominata perprimat cubilia.
Vos, quibus est virtus, muliebrem tollite luctum,
Etrusca præter et volate littora.

Nos manet Oceanus circumvagus: arva, beata
Fetamus arva, divites et insulas;
Reddit ubi Cererem tellus inarata quotannis,
Et imputata floret usque vinea,
Germinat et nunquam fallentis termes olivæ,
Suamque pulla ficus ornat arborem,
Mella cava manant ex ilice, montibus altis
Levis crepante lympha desilit pede.
Illic injussæ veniunt ad mulctra capellæ,
Refertque tenta grex amicus ubera;
Nec vespertinus circum gemit ursus ovili,
Nec intumescit alta viperis humus:
Pluraque felices mirabimur; ut neque largis
Aquosus Eurus arva radat imbribus,
Pinguia nec siccis urantur semina glebis,
Utrumque Rege temperante Cœlitum.
Non huc Argoo contendit remige pinus,
Neque impudica Colchis intulit pedem.
Non huc Sidonii torserunt cornua nautæ,
Laboriosa nec cohors Ulyssei:
(Nulla nocent pecori contagia, nullius astri,
Gregem æstuosa torret impotentia)
Jupiter illa piæ secrevit littora genti,
Ut inquinavit ære tempus aureum:
Ære, dehinc ferro duravit sæcula: quorum
Piis secunda, vate me, datur fuga.

SATYRA. *Omnes insanire, etiam ipsos stoicos dum hoc docent.*

Sic raro scribis, ut toto non quater anno
Membranam poscas, scriptorum quæque retexens,
Iratus tibi, quod vini somnique benignus
Nil dignum sermone canas. Quid fiet? ab ipsis
Saturnalibus huc fugisti: sobrius ergo
Dic aliquid dignum promissis: incipe. Nil est.
Culpantur frustra calami, immeritusque laborat

Iratis natus paries Diis, atque Poetis.
Atqui vultus erat multa et præclara minantis,
Si vacuum tepido cepisset villula tecto.
Quorsum pertinuit stipare Platona Menandro?
Eupolin, Archilochum, comites educere tantos?
Invidiam placare paras, virtute relicta?
Contemnere miser: vitanda est improba Siren
Desidia; aut quidquid vita meliore parasti,
Ponendum æquo animo. Dii te, Damasippe, Deæque
Verum ob consilium donent tonsore: sed unde
Tam bene me nosti? Postquam omnis res mea Janum
Ad medium fracta est, aliena negotia curo,
Excussus propriis: olim nam quærere amabam
Quo vafer ille pedes lavisset Sisyphus ære,
Quid scalptum infabre, quid fusum durius esset;
Callidus huic signo ponebam millia centum:
Hortos egregiasque domos mercarier unus
Cum lucro noram; unde frequentia Mercuriale
Imposuere mihi cognomen compita. Novi;
Et morbi miror purgatum te illius. Atqui
Emovit veterem mire novus, ut solet, in cor
Trajecto lateris miseri capitisque dolore:
Ut lethargicus hic, cum fit pugil, et medicum urget.
Dum ne quid simile huic, esto, ut lubet. O bone, ne te
Frustrere; insanis et tu, stultique prope omnes,
Si quid Stertinius veri crepat; unde ego mira
Descripsi docilis præcepta hæc, tempore quo me
Solatus jussit sapientem pascere barbam,
Atque à Fabricio non tristem ponte reverti.
Nam male re gesta cum vellem mittere operto
Me capite in flumen, dexter stetit, et cave faxis
Te quidquam indignum: pudor, inquit, te malus urget,
Insanos qui inter vereare insanus haberi.
Primum nam inquiram, quid sit furere: hoc si erit in te
Solo, nil verbi, pereas quin fortiter, addam.
Quem mala stultitia, et quæcumque inscitia veri
Cœcum agit, insanum Chrysippi porticus et grex

Autumat. Hæc populos, hæc magnos formula Reges,
Excepto sapiente, tenet. Nunc accipe, quare
Desipiant omnes, æque ac tu, qui tibi nomen
Insano posuere. Velut sylvis, ubi passim
Palantes error certo de tramite pellit;
Ille sinistrorsum, hic dextrorsum abit; unus utrique
Error, sed variis illudit partibus: hoc te
Crede modo insanum, nihilo ut sapientior ille,
Qui te deridet, caudam trahat. Est genus unum
Stultitiæ, nihilum metuenda timentis; ut ignes,
Ut rupes, fluviosque in campo obstare queratur:
Alterum et huic varium, et nihilo sapientius, ignes
Per medios, fluviosque ruentis. Clamet amica
Mater, honesta soror, cum cognatis, pater, uxor:
Hic fossa est ingens! hic rupes maxima! serva!
Non magis audierit, quam Fusius ebrius olim,
Cum Ilionam edormît, Catienis mille ducentis,
Mater, te appello, clamantibus. Huic ego vulgum
Errori similem cunctum insanire docebo.
Insanit veteres statuas Damasippus emendo.
Integer est mentis Damasippi creditor? esto:
Accipe quod nunquam reddas mihi, si tibi dicam,
Tunc insanus eris, si acciperis? an magis excors,
Rejecta præda, quam præsens Mercurius fert?
Scribe decem à Nerio: non est satis; adde Cicutæ
Nodosi tabulas centum; mille adde catenas:
Effugiet tamen hæc sceleratus vincula Proteus.
Cum rapies in jura malis ridentem alienis,
Fiet aper, modo avis, modo saxum, et, cum volet, arbor.
Si male rem gerere, insani est; contra, bene, sani:
Putidius multo cerebrum est, mihi crede, Perillî
Dictantis, quod tu nunquam rescribere possis.
Audire, atque togam jubeo componere, quisquis
Ambitione mala, aut argenti pallet amore,
Quisquis luxuria, tristive superstitione,
Aut alio mentis morbo calet; huc propius me,
Dum doceo insanire omnes, vos ordine adite.

Danda est ellebori multo pars maxima avaris:
Nescio an Anticyram ratio illis destinet omnem.
Hæredes Staberî summam incidere sepulcro:
Ni sic fecissent, gladiatorum dare centum
Damnati populo paria, atque epulum, arbitrio Arri;
Frumenti quantum metit Africa. Sive ego prave,
Seu recte, hoc volui; ne sis patruus mihi. Credo
Hoc Staberî prudentem animum vidisse..... Quid ergo
Sensit, cum summam patrimonî insculpere saxo
Hæredes voluit? Quoad vixit, credidit ingens
Pauperiem vitium, et cavit nihil acrius; ut si
Forte minus locuples uno quadrante perîsset,
Ipse videretur sibi nequior: omnis enim res,
Virtus, fama, decus, divina humanaque pulchris
Divitiis parent; quas qui contraxerit, ille
Clarus erit, fortis, justus, sapiens etiam, et Rex,
Et quidquid volet. Hoc, veluti virtute paratum,
Speravit magnæ laudi fore. Quid simile isti
Græcus Aristippus, qui servos projicere aurum
In media jussit Libya, quia tardius irent
Propter onus segnes? Uter est insanior horum?
Nil agit exemplum, litem quod lite resolvit.
Si quis emat citharas, emptas comportet in unum,
Nec studio citharæ, nec Musæ deditus ulli;
Si scalpra et formas non sutor; nautica vela,
Aversus mercaturis: delirus et amens
Undique dicatur merito. Quî discrepat istis,
Qui nummos aurumque recondit, nescius uti
Compositis, metuensque velut contingere sacrum?
Si quis ad ingentem frumenti semper acervum
Porrectus vigilet cum longo fuste; neque illinc
Audeat esuriens dominus contingere granum,
Ac potius foliis parcus vescatur amaris:
Si positis intus Chii veterisque Falerni
Mille cadis; (nihil est, tercentum millibus) acre
Potet acetum: age, si et stramentis incubet, unde
Octoginta annos natus, cui stragula vestis,

Blattarum ac tinearum epulæ, putrescat in arca:
Nimirum insanus paucis videatur, eo quod
Maxima pars hominum morbo jactatur eodem.
Filius, aut etiam hæc libertus ut ebibat hæres,
Dîs inimice senex, custodis? ne tibi desit?
Quantulum enim summæ curtabit quisque dierum,
Ungere si caules oleo meliore, caputque
Cœperis impexa fœdum porrigine? Quare,
Si quidvis satis est, perjuras, surripis, aufers
Undique? Tun' sanus? populum si cædere saxis
Incipias, servosque tuo quos ære pararis,
Insanum te omnes pueri, clamentque puellæ:
Cum laqueo uxorem interimis, matremque veneno,
Incolumi capite es? Quid enim? neque tu hoc facis Argis,
Nec ferro, ut demens genitricem occidit Orestes.
An tu reris eum occisa insanisse parente;
Ac non ante malis dementem actum Furiis, quam
In matris jugulo ferrum tepefecit acutum?
Quin ex quo est habitus male tutæ mentis Orestes,
Nil sane fecit, quod tu rependere possis:
Non Pyladen ferro violare ausus sororem
Electram: tantum maledicit utrique, vocando
Hanc, Furiam; hunc, aliud, jussit quod splendida bilis.
Pauper Opimius argenti positi intus et auri,
Qui Veientanum festis potare diebus
Campana solitus trulla, vappamque profestis,
Quondam lethargo grandi est oppressus, ut hæres
Jam circum loculos et claves lætus ovansque
Curreret: hunc medicus multum celer atque fidelis
Excitat hoc pacto: mensam poni jubet, atque
Effundi saccos nummorum; accedere plures
Ad numerandum: hominem sic erigit: addit et illud,
Ni tua custodis, avidus jam hæc auferet hæres.
Men' vivo? ut vivas igitur, vigila: hoc age. Quid vis?
Deficient inopem venæ te, ni cibus, atque
Ingens accedat stomacho fultura ruenti.
Tu cessas? agedum, sume hoc ptisanarium oryzæ.

Quanti emptæ? Parvo. Quanti ergo? Octo assibus. Eheu!
Quid refert, morbo, an furtis, pereamne rapinis?
Quisnam igitur sanus? Qui non stultus. Quid avarus?
Stultus, et insanus. Quid? si quis non sit avarus,
Continuo sanus? Minime. Cur, Stoice? Dicam.
Non est cardiacus, Craterum dixisse putato,
Hic æger. Recte est igitur, surgetque? negabit;
Quod latus, aut renes morbo tententur acuto.
Non est perjurus, neque sordidus; immolet æquis
Hic porcum Laribus: verum ambitiosus et audax;
Naviget Anticyram: quid enim differt, barathrone
Dones quidquid habes, an nunquam utare paratis?
Servius Oppidius Canusî duo prædia, dives
Antiquo censu, gnatis divîsse duobus
Fertur, et hæc moriens pueris dixisse vocatis
Ad lectum: postquam te talos, Aule, nucesque
Ferre sinu laxo, donare et ludere vidi;
Te, Tiberi, numerare, cavis abscondere tristem:
Extimui, ne vos ageret vesania discors;
Tu Nomentanum, tu ne sequerere Cicutam.
Quare per Divos oratus uterque Penates,
Tu cave ne minuas; tu, ne majus facias id,
Quod satis esse putat pater, et natura coercet.
Præterea ne vos titillet gloria, jure
Jurando obstringam ambo: uter Ædilis fueritve
Vestrûm Prætor, is intestabilis et sacer esto.
In cicere atque faba bona tu perdasque lupinis,
Latus ut in Circo spatiere, aut æneus ut stes,
Nudus agris, nudus nummis, insane, paternis?
Scilicet ut plausus, quos fert Agrippa, feras tu,
Astuta ingenuum vulpes imitata leonem?
Nequis humasse velit Ajacem, Atrida, vetas cur?
Rex sum. Nil ultra quæro plebejus. Et æquam
Rem imperito: ac si cui videor non justus, inulto
Dicere, quæ sentis, permitto. Maxime Regum,
Dî tibi dent capta classem deducere Troja!
Ergo consulere, et mox respondere licebit?

Consule. Cur Ajax, heros ab Achille secundus,
Putrescit, toties servatis clarus Achivis,
Gaudeat ut populus Priami, Priamusque inhumato,
Per quem tot juvenes patrio caruere sepulcro?
Mille ovium insanus morti dedit; inclytum Ulyssem,
Et Menelaum una mecum se occidere clamans.
Tu cum pro vitula statuis dulcem Aulide gnatam
Ante aras, spargisque mola caput, improbe, salsa,
Rectum animi servas? Quorsum? Insanus quid emnim Ajax
Fecit, cum stravit ferro pecus? abstinuit vim
Uxore et gnato, mala multa precatus Atridis.
Non ille aut Teucrum, aut ipsum violavit Ulyssem.
Verum ego, ut hærentes adverso littore naves
Eriperem, prudens placavi sanguine Divos.
Nempe tuo, furiose. Meo; sed non furiosus.
Qui species alias veri, scelerisque tumultu
Permistas capiet, commotus habebitur; atque,
Stultitiane erret, nihilum distabit, an ira.
Ajax cum immeritos occidit, desipit, agnos?
Cum prudens scelus ob titulos admittis inanes,
Stas animo? et purum est vitio tibi cum tumidum est cor?
Si quis lectica nitidam gestare amet agnam,
Huic vestem, ut gnatæ, paret, ancillas paret, aurum,
Rusam, aut Rusillam appellet, fortique marito
Destinet uxorem, interdicto huic omne adimat jus
Prætor, et ad sanos abeat tutela propinquos.
Quid? si quis gnatam pro muta devovet agna,
Integer est animi? ne dixeris. Ergo, ubi prava
Stultitia, hic est summa insania: qui sceleratus,
Et furiosus erit; quem cepit vitrea fama,
Hunc circumtonuit gaudens Bellona cruentis.
Nunc age, luxuriam et Nomentanum arripe mecum.
Vincet enim stultos ratio insanire nepotes.
Hic simul accepit patrimonî mille talenta,
Edicit, piscator uti, pomarius, auceps,
Unguentarius, ac Tusci turba impia vici,
Cum scurris fartor, cum Velabro omne macellum,

Mane domum veniant. Quid tum? venere frequentes.
Verba facit leno: quidquid mihi, quidquid et horum
Cuique domi est, id crede tuum; et vel nunc pete, vel cras.
Accipe, quid contra juvenis responderit æquus:
In nive Lucana dormis ocreatus, ut aprum
Cœnem ego; tu pisces hiberno ex æquore vellis:
Segnis ego, indignus qui tantum possideam: aufer!
Sume tibi decies; tibi tantundem; tibi triplex.
Filius Æsopi detractam ex aure Metellæ,
(Scilicet ut decies solidûm exorberet) aceto
Diluit insignem baccam; quî sanior, ac si
Illud idem in rapidum flumen, jaceretve cloacam?
Quincti progenies Arrî, par nobile fratrum,
Nequitia, et nugis, pravorum et amore gemellum,
Luscinias soliti impenso prandere coemptas.
Quorsum habeant? sani ut creta, an carbone notandi?
Ædificare casas, plostello adjungere mures,
Ludere par impar, equitare in arundine longa,
Si quem delectet barbatum, amentia verset.
Si puerilius his, ratio esse evincet, amare;
Nec quidquam differre, utrumve in pulvere, trimus
Quale prius, ludas opus, an meretricis amore
Sollicitus plores: quæro, faciasne, quod olim
Mutatus Polemon? ponas insignia morbi,
Fasciolas, cubital, focalia, potus ut ille
Dicitur ex collo furtim carpsisse coronas,
Postquam est impransi correptus voce magistri?
Porrigis irato puero cum poma, recusat:
Sume, Catelle; negat: si non des, optat. Amator
Exclusus quî distat, agit ubi secum, eat, an non,
Quo rediturus erat non arcessitus, et hæret
Invisis foribus? Nec nunc, cum me vocet ultro,
Accedam? an potius mediter finire dolores?
Exclusit, revocat: redeam? non, si obsecret. Ecce
Servus, non paulo sapientior: O here, quæ res
Nec modum habet, neque consilium, ratione modoque
Tractari non vult: in amore hæc sunt mala: bellum,

Pax rursum : hæc si quis tempestatis prope ritu
Mobilia, et cæca fluitantia sorte, laboret
Reddere certa sibi, nihilo plus explicet, ac si
Insanire paret certa ratione modoque.
Quid? cum Picenis excerpens semina pomis,
Gaudes, si cameram percusti forte, penes te es?
Quid? cum balba feris annoso verba palato,
Ædificante casas quî sanior? Adde cruorem
Stultitiæ, atque ignem gladio scrutare : modo, inquam,
Hellade percussa Marius cum præcipitat se,
Cerritus fuit? an commotæ crimine mentis
Absolves hominem, et sceleris damnabis eundem,
Ex more imponens cognata vocabula rebus?
Libertinus erat, qui circum compita siccus
Lautis mane senex manibus currebat: et, unum,
(Quid tam magnum addens) unum me surpite morti,
Dîs etenim facile est, orabat; sanus utrisque
Auribus atque oculis; mentem, nisi litigiosus,
Exciperet dominus, cum venderet : hos quoque vulgus
Chrysippus ponit fecunda in gente Menenî.
Jupiter, ingentes qui das adimisque dolores,
Mater ait pueri menses jam quinque cubantis,
Frigida si puerum quartana reliquerit, illo
Mane die, quo tu indicis jejunia, nudus
In Tiberi stabit: casus medicusve levarit
Ægrum ex præcipiti, mater delira necabit
In gelida fixum ripa, febrimque reducet.
Quone malo mentem concussa? timore Deorum.
Hæc mihi Stertinius, sapientum octavus, amico
Arma dedit, posthac ne compellarer inultus.
Dixerit insanum qui me, totidem audiet; atque
Respicere ignoto discet pendentia tergo.
Stoice, post damnum sic vendas omnia pluris:
Qua me stultitia (quoniam non est genus unum)
Insanire putas? ego nam videor mihi sanus.
Quid, caput abscissum demens cum portat Agave
Gnati infelicis, sibi tum furiosa videtur?

Stultum me fateor (liceat concedere veris)
Atque etiam insanum; tantum hoc edissere, quo me
Ægrotare putes animi vitio? Accipe: primum
Ædificas, hoc est, longos imitaris, ab imo
Ad summum totus moduli bipedalis; et idem
Corpore majorem rides Turbonis in armis
Spiritum et incessum: quî ridiculus minus illo?
An quodcumque facit Mecœnas, te quoque verum est,
Tanto dissimilem, et tanto certare minorem?
Absentis ranæ pullis vituli pede pressis,
Unus ubi effugit, matri denarrat, ut ingens
Bellua cognatos eliserit: illa rogare,
Quantane? num tantum, se inflans, sic magna fuisset?
Major dimidio. Num tanto? Cum magis atque
Se magis inflaret; non, si te ruperis, inquit,
Par eris. Hæc à te non multum abludit imago.
Adde poemata nunc: hoc est, oleum adde camino:
Quæ si quis sanus fecit, sanus facis et tu.
Non dico horrendam rabiem. Jam desine. Cultum
Majorem censu. Teneas, Damasippe, tuis te.
O major tandem parcas insane minori.

FINIS TOMI III.




Stultum me fateor (liceat
Atque etiam insanum; tant
Ægrotare putes animi vitio
Ædificas, hoc est, longos
Ad summum totus moduli
Corpore majorem rides Tur
Spiritum et incessum: qu
An quodcumque facit Me
Tanto dissimilem, et tan
Absentis ranæ pullis vitu
Unus ubi effugit, matri
Bellua cognatos eliser
Quantane? num tantur
Major dimidio. Num
Se magis inflaret; r
Par eris. Hæc à te
Adde poemata n

Lucas Bermudo

Lucas Bermudo
M. Marco




colorchecker CLASSIC
calibrite
mm